De personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine

DISSERTATIO
inauguralis quam ad summos
in
philosophia honores ab amplissimo philosophorum
ordine Gissensi rite capessendos
scripsit

Guilelmus Süss
Friedbergensis

Bonnae
MCMV

Rettulit ad philosophorum ordinem
Ericus Bethe
21. XI. 1904

Plato, omnium ingenii studiorum ordine atque firmis rationibus suscipiendorum princeps quasi atque ἥρως κτίστης, saepius commendat duas primarias philosophiae omnisque denique verae scientiae regulas, quas una cum coelesti igne a Prometheo hominibus donatas esse praedicat. Quarum prima quidem monemur, ne prae nimio quodam studio omnia ad genera revocandi singularem rerum differentiam, quam vocamus, specificam nimis neglegamus, quarum tamen altera illud ipsum suadet, ut vinculo similitudinis singula coniungamus. Et profecto harum duarum et scindendi et coniungendi legum certamine quicquid et est scientiae nititur.

Quarum rationum hanc equidem parum adhuc invenio observatam esse in perspicienda natura antiquae, quae vocatur, comoediae atticae, quae, licet et teneat suam propriam provinciam ab omni alio genere comoediarum secretam, nihilominus non in modum illius mirae arboris cosmogoniae Pherecydeae ὑπόπτερος inter sidera et tellurem haeret, sed multis radicibus, quas sex demonstrabimus, sucum et robur ex solo materno trahit.

Aristophanes ipse sane vix satiatur in sua ipsius Musa quasi plane singulari significanda. Saepius Megaricum risum Megaricasque tricas a sua arte alienas esse profitetur.

οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς (nub. 546 sqq.)

Attamen haud ita magna est opus sagacitate ad in-

tellegendam gravissimam quandam offensionem, quae huic opinioni adhaeret. Nam licet ponas summam antiqae atticae comoediae in ludibriis atque opprobriis, tamen sic nihil de specie ipsa fabularum atque de ratione in materia distribuenda instituta accipis.

Mucrones sane poeta comicus loquitur et ridet. Attamen ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσει ὥςπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων.

Qualis sit ille μύρτου κλάδος, quo quasi involvit poeta comicus gladium ludibrii atque reprehensionis, haec nobis proposita est quaestio primaria huius disputationis. Utrum evadet surculus plane singularis mira quadam gratia superorum Atticae tantum terrae in modum sacrae illius olivae donatus an potius propago solum arboris cuiusdam, cuius in umbra tota est recreata Graecia?

Omnia autem ea, quae ad Doricam, quae vocatur, comoediam revocantur, sicuti Epicharmi, Sophronis mimi, fragmentis tantum servantur, quae, quamvis alibi pretiosissima, ad cognoscendam ethopoeiam personarum saepius frustra aratro interpretationis vexabis.

Quaeratur igitur necesse est, unde possit imago aliquanto vividior huius generis comparari. Extant autem diversae longeque distantes semitae, quibus, ubi recta via progredi non licet, adibis calcem stadii, si non ea commoditate, qua viator in via strata processurus gaudere solet, attamen haud minorem fructum ablaturus.

Exstant enim aliquot testimonia, quibus de natura talium mimorum docemur, extant imagines phlyacum in vasibus depictae, exstant, si non Sophronis, at certe sectatoris cuiusdam Sophronis mimi plurimi, qui quibus rebus demonstrent originem comicam, nondum satis perspectum esse videtur, exstant denique verba pretiosissima Aristophanis ipsius, quibus tricas Megaricas collegarumque quorundam rationes notat. Quo variorem vides nobis offerri

materiam, eo plus sperabis fore, ut haec testimonia — modo ea coniungas vinculo certi cuiusdam propositi — lacunas maximas, quibus fortuna nostram de comoedia dorica scientiam foedavit, aliqua certe ex parte suppleant. Potest sane non negari saepius dilucidam atque planam speciem formamque personarum comicarum hauriri demum ex ratione artis posterorum observata. En habes tertium quendam στίχον fontium, qui in omni, quam res ipsa suadere videtur, cautione haud sine fructu adhibebitur, modo possint aliqua elementa usus posterorum demonstrari ad illa, de quibus loquimur, tempora revocanda. Nititur enim comica ars totius antiquitatis certis quibusdam eisque vetustissimis elementis, ita ut illa aeternitas materiae, quam in rerum natura cernere consuevimus, et in artis comicae certe provincia cognosci possit.

Saepius hac ratione, quae fuerant antea membra disiecta atque lacerata certo quodam ordine coniuncta intelleguntur ita, ut ad unam eandemque personam revocentur. Extant autem et personae in usu scaenico inferioris aetatis, quae antea nondum eadem perspicuitate et constantia expressae erant. Tum cavendum est, ne prae nimio quodam studio omnia ad firmas personas revocandi quicquid testimoniorum occurrit eadem primatur norma. Quaerendum potius tum est, quo modo ex elementis quibusdam vetustissimis scaenae perpetuo usu servatis illis quidem, attamen et auctis et vario modo exornatis illud denique effectum sit, quod posterorum comoedia iam ad summum florem artis producta praebet.

I. Alazon doctus.

Inter personas Aristophaneas omnibus temporibus ille, qui in Nubibus in scaenam introducitur, Socrates studium et sagacitatem virorum doctorum in se convertit Lucratur enim omnis, quae de viro quodam summo movetur, quaestio aliquam saltem partem eius ponderis eiusque gravitatis, quam illi ipsi attribui velis. Multa igitur de hac quaestione modo accuratius modo levius disputata invenias.[1]) Neque tamen in hac re magnopere profectum esse videtur, nisi forte in illo, ut demonstratum sit nil fere esse commune Aristophaneo illi Socrati cum illo, qui re vera inter mortales morabatur, ad quam rem, utpote quae primo quasi obtutu cognoscitur, haud ita magna opus erat aut sagacitate aut doctrina. Unus Dielesius optime de hac quastione meritus est, cum abiectis omnibus inanibus ambagibus demonstravit eam, quae in Nubibus proferatur artem physicam Diogeni Apolloniati deberi, quam cognationem non modo ad sententias ipsas sed et ad verba notionesque retulit.

Fortasse iuvat hanc quaestionem altera ex parte redintegrare. Satis superque demonstratum opiniones adiectas esse a poëta Socrati, quas re vera nunquam habuit.[2])

[1]) quarum disputationum e multitudine nominentur hae: Gehring, Ueber den Sokrates in des Aristophanes Wolken. Gymn. progr. Gerae 1873. Landsberg, Ueber den Sokrates in den Wolken des A. (Philologus VIII.p.94 sqq.) Kock in praef. editionis. Diels, 35. Phil. Vers. z. Stettin 1881. p. 965. sqq. Ad Röemer, Münch. Sitz B. 1896, p. 221. sqq.

[2]) Ad. Roemer (l.l.) ingratum subiit negotium probaturus e vera Socratis natura multa poëtam depinxisse. Sunt autem illa, quae affert, satis exigua, non nunquam vel crinibus arrepta, ita ut iure neminem graviorem hu-

Sed nonne et quaedam quamvis ad irridendum Socratem aptissima tamen comicus non in usum vocavit? Leviter hanc quaestionem iam Gehring[3]) tetigit ita tamen, ut satis parvam partem talium rerum nominet neque ullos ex hac re satis memorabili fructus percipiat. Nominat enim das Versinken in sich und das höchst eigentümliche Daemonium, Eigenschaften, die, wir sollten meinen, ein passendes Objekt der komischen Darstellung für Aristophanes waren. Non nego. At quid haec duo sibi volunt cum aliis multo magis ad risum movendum idoneis comparata? Neque et hic quaerimus, quid sit, quod Socratis mater, utpote obstetrix, non similiter atque Euripidis sit irrisa a comico,[4]) quippe cum neque quicquam de hoc munere matris constet et nomen Phaenaretae fictionem quandam redoleat e vocibus φαίνειν et ἀρετήν compositum atque ad propositum loci cuiusdam Platonis (Theaet. pag. 149.) accomodatum. Persequamur igitur opinionem quandam pervulgatam, quae Kockii[5]) verbis expressa haec est: Es werden für die Komödie ausgebeutet: die Eigenheiten, die Sokrates als Einzelnem anhaften, sein Auftreten, seine äussere Erscheinung, die gewaltige Glatze, das silenartige Antlitz, die breite, aufwärts gekehrte Nase, die verwachsenen Schultern, der überhängende Bauch, der stolzierende Gang, der hochmütige Blick und alle die andern Merkmale seiner wunderlichen Persönlichkeit, die in der Mas-

---

ius discidii inter artem et vitam exorti testem exstitisse dicas, quam illam ipsam disputationem Roemerianam.

[3]) l. l. p. 15.

[4]) Nemo mihi hic vestigia Roemeriana sequens obiciet Nub. vers. 137, quo discipulus queritur, quod sibi foetus praematurus cogitationis sit extortus. Si omnino notationem matris petivissit comicus, non tam pudenter egisset neque tam raro rei mentionem fecisset.

[5]) l.l. pag. 16.

ke gewiss täuschend nachgebildet waren. Miror, unde Kock haec sciat; ex Aristophane certe non, in quo nihil eiusmodi invenias.

Notum est veteres singulari quodam studio gibberos, strabones, calvatos, alios denique aliqua deformitatis macula adspersos in summum risum vocasse, qualem consuetudinem, licet sit ab elegantioribus moribus aliena, nihilominus et apud nostrates vigere non negabit is, qui in rusticorum tabernis versatus est. Videtur igitur tale quid in natura ipsa generis humani positum esse, „quod, licet expellas furca, tamen usque recurret.“ Hoc autem et in scaena viguisse studium probatur Dossenno a dorso nomen trahente, parasito sollemni more calvato, multis aliis similibus rebus. Jam quaerentibus nobis, quae fuerit species habitusque corporis illius hominis δαιμονίου, exstat, quo praeclarius inveniri non potest testimonium in illo encomio Alcibiadis (Plat. Symp. XXXII). Dicit enim ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τοῖς σιληνοῖς, τούτοις τοῖς ἐν τοῖς ἑρμογλυφαίοις καθημένοις. in animum vocandus est nobis consuetus typus Sileni, qualis offertur nota statua glyptothecae Monacensis, in qua et describenda Brunnium Socratis meminisse video.[6]) Vastum autem et putridum ut attribuamus Socrati ventrem, suadent et verba Platonis, si quidem in statuis Silenorum minora signa servari dicit, sicuti et videmus nostris diebus varias nugas venire ex ingentibus ventribus homunculorum apertis producendas. Plura autem de Socrate praebet Xenophon eadem certe et ille auctoritate praeditus ac Plato. Hic enim in convivio (IV. 19.) hanc eandem cum Silenis comparationem praebet, nisi quod imaginem compluribus locis accuratiorem reddit. Memoratur verbis ipsis venter pinguis (II 19. μείζω τοῦ καιροῦ τὴν γαστέρα ἔχων) commemorantur et ὀφθαλμοὶ ἐπιπόλαιοι (V. 5) quod-

[6]) cf. Brunn, Beschreibung der Glyptothek König Ludwigs I. pag. 126.

dem nominat Plato τὸ ἔξω τῶν ὀμμάτων; (Theaet. 143 E), τὸ σιμὸν τῆς ῥινὸς eodem loco et Xenophontis et Platonis, cum tamen τὰ παχέα χείλη unico Xenophonti deberi videantur. Apparet tradi easdem fere res eodem modo neque de hac philosophi specie esse ullo modo dubitandum. Et nunc quidem optimo iure licet contendere comicum consulto hanc largissimam irridendi materiam intactam reliquisse. Sed et unam rem iuvat attulisse, in qua Aristophanes materiam largissime oblatam non modo non in usum vocavit, sed vel in contrariam partem vertit. Liberavit enim poëta suum Socratem non modo illo abdomine Silenis consueto, sed et induxit illum in scaenam ὠχρόν, virum στηθῶν λεπτῶν, ὤμων μικρῶν, πυγῆς μικρᾶς, qualem Strepsiades eum describit(Nub. 1112, 1011-1018) qualesque omnes eos fore promittit ὁ λόγος δίκαιος qui sectam Socraticam sequantur.Memineris hic et Chaerephontis Socratis discipuli, qui per omnes fabulas poëtae propter talia irridetur(Nub.104. 144,146, 156, 829,503, 1467, Vesp. 1399 sqq. Av. 1563. 1296.)

Apparet quam infirmis talis claudicet illa opinio Kockiana. Num autem aliquo modo vultus Socratis in persona depictus sit et num omnino talis consuetudo in usu scaenae palaeoatticae viguerit, hic in medio relinquimus.[7])

[7]) Pendere tota haec quaestio mihi videtur ab interpretatione versus 230 Equitum, cui, si recte rem perspicio, omnis scientia illa satis exigua, quam de hac re posterorum temporum viri haud sine aliqua timiditate atque verecundia tradunt, debetur (Pollux IV 143. Aeliani V. H. II 13. Scholia ad versum Equitum laudatum) Omnino autem non debuit de illa quaestione disputari, Aristophanesne ipse egerit partes Cleonis necne, cum scholiastam versus 230 Equitum illud ex hoc unico loco concludere, appareat

Non reticebimus hic nos in dies magis ab illa opinione

Videmur igitur nobis illud discrimen, quod intercedit

---

de usu antiquae scaenae comicae Atticorum recedere. Quo magis enim personas in vasibus depictas mirum in modum distortas intuemur, eo minus deducimur ad opinionem eam antea vel eisdem temporibus viguisse usum quendam scaenicum fingendi secundam naturam ipsam vultus personae in scaenam prodeuntis. Neque Menandrorum esse solet, gryllos inanesque formas a pristino usu abhorrentes inducere. Quo magis et hos ipsos versus Equitum, a quibus omnia pendent, lego atque perlego, eo plus deducor ad eam opinionem, afferri omnino iniuria Aristophanem testem huius usus scaenici. En habes eos ipsos

ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι
μισοῦντες αὐτόν, οἵ βοηθήσουσί σοι
καὶ τῶν πολιτῶν οἱ καλοί τε κἀγαθοὶ
καὶ τῶν θεατῶν ὅςτις ἐστὶ δέξιος.
κἀγὼ μετ' αὐτῶν χὠ θεὸς ξολλήψεται
καί μὴ δέδιθ'· οὐ γάρ ἐστιν ἐξῃκασμένος
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελεν
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι· πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται. τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν.

Aristophanes his verbis secundum morem suum eam simulationem, qua scaena spectatores imbuere solet, delet iam antea, praecipue autem in exeuntibus versibus: Neve tu allantopola illum timueris. Est enim — exspectes: non verus Cleo, sed scaenicus, at res vel melius evadit — vultus non Cleonis, id quod timor fabrorum vetuit fieri. Et hac narratiuncula quasi evangelio nitendum est? Nonne haec verba rem plane illi contrariam, quam probare putantur, probant, scilicet personam non fuisse secundum similitudinem vitae fictam poetamque hic, ut ludit omnino in tali absurditate, sibi causam quaerere usus scaenici simplicis, sicuti et eccyclematis usum libere fatetur irri-

inter Aristophaneum et verum Socratem vel auxisse, cum quaesivimus non, ut adhuc factum est: quae in Socrate Aristophaneo invenias ab illo Sophronisci filio aliena, sed potius: quae in eo, qui inter vivos moratus est, Socrate invenias ab Aristophane aut omissa aut in contrariam partem versa, cum tamen praeter omnia digna fuissent, quae irriderentur. Omnes autem illas res, quibus plane alienis a vero Socrate comicus suum philosophum ornavit, utpote satis notas et saepissime tractatas hic plane intactas relinquimus, Premit autem nos vel maiore vi vetusta illa quaestio: Quae fuit tante mutationis comico causa, ad quod problema enucleandum vix quiquam illos, qui de Socrate Aristophaneo scripserunt, attulisse cognovimus.

De Aristophane Euripidis irrisore tres viri scripserunt: Schmid[8]), Rudloff[9]), van Leeuwen[10]), quorum opuscula murim in modum non modo in materia allata sed et in universa ratione et indole indagandi congruunt. Vocaverunt autem hi viri, id quod nos hic curamus, in suum usum non solum versus illos, quibus de Euripide agitur, sed et hic illic — inprimis van Leeuwen — illos,

---

dendo? Quo magis autem et video comicum semper personas scaenam adeuntes accuratissime significantem, qua re omnino non erat opus, si quidem pro poëta vultus personae verba faciebant, eo plus labitur fundamentum huius dogmatis neque et memini me ullum in omnibus fabulis Aristophaneis legisse versum, in quo poëta deprehenditur in suos usus vertens illam sceuopoiiam singularum personarum, quam qui putant Aristophani fuisse in promptu, non satis videntur perspicere, quanto atque quam molesto munere premant scaenam palaeoatticam.

[8]) progr. gymn. Halberstadtensis 1845.

[9]) diss. Berol. 1865.

[10]) diss. Amst. 1876.

qui in Nubibus de Socrate proferuntur, qua ratione significant multa Euripidea in Socratem Aristophaneum irrepsisse. Apparet autem et tum nullum nobis praeberi responsum ad illud, quo vexamur, problema. Immo in hac quaestione van Leeuwen plane cum Kockio facit, quem perbene rem exposuisse putat. Attamen res omnino non est sic explicanda, ut Aristophanes suo Socrati Euripideas opiniones adiungat, id quod postea, si non invita utemur Minerva, probabimus. Ea autem, quae van Leeuwen ex Nubium fabula sibi prompsit, nimis in universum dicta esse videntur, attulit enim inprimis et Euripidem et Socratem a dis consuetis abhorrere vitamque solitariam petere. Plura vix invenias de hac quaestione disputata. Putamus autem et nos Euripidi et Socrati nonnulla esse communia, immo omnia fere redigique eos posse, si quidem recte rem perspicias, ad unam eandemque personam. Hic autem nobis maioris quam illa, quae eadem de sophistis dici poterant dicteria sunt momenti omnia ea quae ad depingendos mores, ad demonstrandam naturam, ad adumbrandam denique speciem corporis pertinent.

Quaerentibus nobis, in quo potissimum versetur poëta depingens Socratem, illud primum occurrit describi eum speciei corporis omnisque cultus plane negligentem. Est ἀνυπόδητος, (Nub. 103, 363) describitur et illud φροντιστήριον ita, ut de satis vili casa cogitandum sit: ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο καὶ τῳκίδιον (Nub. 92). Praeterea haec digna sunt, quae attendantur:

Nub. 835 Socrates eique, qui illius partem sequuntur, a Strepsiade laudantur ὧν ὑπὸ τῆς φειδωλίας ἀπεκείρατ' οὐδεὶς πώποτ' οὐδ' ἠλείψατο οὐδ' εἰς βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος. In eandem partem et illi versus Avium (1280) accipiendi sunt, ubi haec verba facta invenais

πρὶν μὲν γὰρ οἰκίσαι σε τήνδε τὴν πόλιν
ἐλακωμάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,

ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἐσωκράτουν
σκυτάλι' ἐφόρουν·

cf et Avium versum 1555 ἄλουτος οὗ Σωκράτης ψυχαγωγεῖ.

Est et illud phrontisterium pulicibus, cimicibus, culicibus repletum. Atque cimicibus quidem saepius illic vexatur Strepsiades (634, 696, 707, 724). Eodem modo et pulices non modo inveniuntur in casa philosophi sed et largam diiudicandorum problematum copiam praebent (144). Sic et illa quaestio, quidnam de flatibus ventris a culicibus emissis sit iudicandum, sagacissime ad finem perducitur. (156). Corporis cultus neglectus praelataque ratio vitae domesticae demonstratur et in illo pallore vultus, quem saepius in philosopho eiusque discipulis notatum invenimus. Memineris hic illorum iam supra allatorum versuum 1011-1018, 1112 Nubium illiusque multitudinis exemplorum, quibus Chaerephontem pallidum introduci demonstravimus. Hic addimus nonnulla in eandem partem abeuntia.

Nub. 1171 Strepsiades salutat filium doctrina nova modo imbutum.

ἰώ, ἰὼ τέκνον.
ἰοῦ, ἰοῦ.
ὡς ἥδομαί σου πρῶτα τὴν χροιὰν ἰδὼν sqq.

ad quem versum bene scholia: ὡς ὠχριάσαντος. itemque antea Pheidippides, cum ei suadeatur a patre, ut Socratis utatur disciplina, haec verba profert 119

οὐκ ἂν πιθοίμην. οὐ γὰρ ἂν τλαίην ἰδεῖν
τοὺς ἱππέας τὸ χρῶμα διακεκναισμένος.

qui idem et illos, qui in casa philosophorum habitant, τοὺς ὠχριῶντας nominaverat. Afferimus et versum quendam ex altera quadam recensione Nubium apud Photium et Suidam servatum (frgt. 377 K.) κείσεσθον ὥσπερ πηνίω βινουμένω. ἀντὶ τοῦ ξηροί(Suid.). Apparet talem Socratem ab

exercitationibus corporis, quales in gymnasiis fiebant, abhorrere. Justus sermo iniustum suum collegam, in quo patronum Socratis videas, increpat, (1054) quod κενὰς ποιεῖ τὰς παλαίστρας.

Accedit, quod Socrates semper superciliis contractis vultuque morosissimo praeditus fingitur.

833. ἄνδρες χολῶντες.

363. βρενθύει τ'ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις
. . . . . κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Indagemus num eadem illiberalis ingenii vestigia et apud Euripidem Aristophaneum inveniantur. Monemus primum Euripidem in Acharnensibus introduci habentem ἐσθῆτ' ἐλεεινήν. (413.) In illum et Aeschylus (Ran. 1087) praeter alia hoc graviter ferens invehitur, quod

λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

ille enim (Ran. 1077) ἐξεκένωσεν τὰς παλαίστρας.

Vides in hoc agone Ranarum easdem res eisdem fere vocibus proferri, quas iam supra ex agone Nubium hausimus.

Fatetur et Euripides ipse (Thesm. 189) cum Agathone collocutus ille haec:

ἔπειτα πολιός εἰμι καὶ πώγων' ἔχω
σὺ δ' εὐπρόσωπος, λευκός, ἐξυρημένος,
γυναικόφωνος, ἁπαλός, εὐπρεπὴς ἰδεῖν.

Meminerimus et Socratem crinium rationem non habentem introduci. Jam et cognoscitur miras quasdam facetias inesse versui 173 Thesm.

παῦσαι βαΰζων. καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτος ἦν
ὢν τηλικοῦτος, ἡνίκ' ἠρχόμην ποιεῖν

scil. qualis nunc est Agatho, ita ut Euripides, vetus, cultus corporis vestimentorumque plane negligens opponatur cuidam iuveni Euripidi, qui puer mollis et ille in Arcadia natus erat, crines diligentissime

compserat, teneram vocem emiserat, vultu levi erat gavisus. Sed redeamus ad vetulum illum. Qui et aptissimam apud inferos sibi conquisiverat societatem (Ran. 771.)

ὅτε δὴ κατῆλθ' Εὐριπίδης, ἐπεδείκνυτο
τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖσι βαλλαντιοτόμοις
καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις.

Sequitur ingens copia versuum, quibus Euripides non aut certe minus ipse pannis obsitus corporisque cultus negligens pingitur, sed potius illae, quas in scaenam introducit, personae. Est enim πτωχοποιός et ῥακιοσυρραπτίδης. (cf. Ran. 842. 1063. Ach. 410-489). Attamen haec res a nostro proposito alliena est. Jlliberalis certe et ille apertissime fictus est in modum fere poëtae illius Avium, de quo infra.

Jam supra cognovimus Socratem remotissimum a plebe vitam agere solitariam neque consuetas rationes vivendi sequi. Moneatur primum illa κρέμαθρα, qua utitur Socrates in Nubibus ἀεροβατῶν (220.225.) aetherique ingenio philosophorum inprimis faventi proximus. Plura in eandem partem spectantia in Nubibus invenias eaque nimis nota quam ut hic mentionem requirant. Et hic quidem satis memorabile est plane eandem rem de Euripide proferri, de quo in Acharnensibus haec dicuntur (399) ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ τραγῳδίαν idemque poeta non descendit in terram, sed in eccyclemate quodam sedens spectatoribus praebetur. Hanc rem poëta aliquo accentu, ut ita dicam, ornavit. cf. 408. 409. 410. 411. Euripides enim, qui ἀναβάδην ποιεῖ τραγῳδίαν, negat se otium habere colloquii ineundi. Tandem instantissimis precibus commotus hoc concedit, ut evolvatur eccyclemate ἀναβάδην, καταβαίνειν δ' οὐ σχολή. In Thesmophoriazusis consulto haec scena in usum vocata est, si quidem et Agatho poëta tragicus eccyclemate evolvitur itaque et ille ἀναβάδην ποιεῖν τραγῳδίαν putandus est. Iam vides κρέμαθραν quandam aut certe sublimem quandam ambulationem viro

docto sollemni more attribui. Est et operae pretium, omnino Acharnenses et Nubes fabulas comparare. Offertur enim nobis tanta similitudo quarundam partium totiusque rationis, ut non dubitemus contendere inesse iam quasi in nuce, ut nostrates dicere solent, Nubium argumentum in Acharnensium illa parte, ubi Dicaeopolidi cum Euripide res est. Dicaeopolis, ἀγροῖκος eodem modo quo et Strepsiades, incidit in angustias. sicut et ille. Eadem fere malo medela paratur. Dicaeopolis ab Euripide, Strepsiades a Socrate auxilium se impetraturum esse sperat. Vel in vocibus ipsis aliquam similitudinem inesse invenias. Dicaeopolis: καί μοι βαδιστέ' ἐστὶν ὡς Εὐριπίδην Strepsiades: βαδίζων εἰς τὸ φροντιστήριον διδάξομαι . . ἰτητέον. Dic.: ὥρα' στιν ἄρα μοι καρτερὰν ψυχὴν λαβεῖν Streps: τί ταῦτ' ἔχων στραγγεύομαι;
κόπτεται ab utroque ἡ θύρα. Aperitur a sectatoribus philosophorum indignationis quandam speciem prae se ferentibus, quod aut magister vexetur (sicuti in Ach.) aut ipsi occupatissimi interrumpantur (id quod in Nubibus fit.) Homini docto enim non σχολή. Nihilominus satis tempori. consumunt in sapientiae suae speciminibus dandis. Dicaeopolis igitur miratur, quod servus οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται itemque Strepsiades vix satis mirari potest, quae sibi doctarum rerum narrentur. Tandem ad virum ipsum penetrant, qui quomodo sublimis fingatur iam supra monuimus. Petunt eos nominibus et ὑποκοριστικοῖς (cf. Ach. 404 et Nub 222.) Deinde eodem modo quo Dicaeopolis, et Strepsiades magistri, quem ipsi adierat, orationem innumerabilibus locis in ridiculum vertit, sed huius rei accusatius indagandae aptius tum, cum de natura talium personarum, quales in Dicaeopolide et Strepsiade conspicimus, quaeritur, occasio offertur. Illud certe hic iam evasisse puto hanc partem octoginta versuum fere Acharnensibus insertam repeti in Nubibus ita tamen, ut illic quasi thema primarium

praebens amplificetur et ad finem quendam perducatur.

Sed redeamus ad Euripidem et Socratem singulis rebus comparandos. Jam quaerendum est, in quo omnino versetur utriusque philosophia. Deos Graecis consuetos neque Socrates neque Euripides probat. Et sic quidem Socrates docet:

> ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ
> ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι. (Nub. 247)

itemque Euripides loco notissimo Ranarum (889) haec profert:

ἕτεροι γάρ εἰσιν οἷσιν εὔχομαι θεοῖς. Haec duo exempla utpote in re notissima sufficiant. Dignum autem est, quod attendatur, et illud plane eandem huius rei imaginem offerri et in Nubibus et in Ranis. Hic mutatio Euripidea κόμμα καινόν nominatur, illic de opinione quasi de nomismate quodam agitur. Quaerentibus autem nobis qui nam sunt di et Euripidei et Socratici, satis mire illud accidit, quod plane non ullum inter eos discrimen cerni potest. Socrates in versu 627 Nubium per τὸν Ἀέρα iurat, invocat quasi deos aera et aethera (265), adorat quasi divinas nubes (ib.). Multa alia in Nubibus ad eandem partem spectantia facile invenias. Et Euripides plane eandem rationem iurandi sequitur. In Ranarum versu 892 praeter alia ὁ αἰθήρ nominatur iuris iurandi loco itemque et in versu 272 Thesmophoriazusarum Euripides sic loquitur: ὄμνυμι τοίνυν αἰθέρ' οἴκησιν Διός. Similia saepissime de Euripide ab Aristophane proferuntur. Adnotavimus iam supra Dielesium optime de hac quaestione meritum esse, cum apertissimis exemplis demonstravit Socratem Aristophaneum hic plane non modo in re sed et in singularum vocum usu a Diogene Apolloniate pendere[11]). Idem de Euripide Aristophaneo accipiamus necesse est. Apparet haud sine causa Aristophanem suos

---

11). cf. l. l. pag. 106 sq. 108 not. 33. 44.

viros doctos philosophia illius Apolloniatis onerasse. Hac enim praeter alias largissime offerebatur copia irridendi: Sedebat sublimis magister, nempe ut aetheris illius nutricis ingenii particeps praeter alios esset, notabatur illa ξηρότης et ὠχρότης, quae hominem doctum opinione Diogenis ab omni humore vehementissime abhorrentem decet, (apte secundum hoc dogma pisces stupidi itemque ebrii) inprimis autem ei, qui nubes, aethera, aera, talia venerabantur, philosophi a terra humana longe remoti, si quidem comici eos intueris oculis, meri φένακες evadunt. Habes artem metaphysicam philosophorum Aristophaneorum, quasi τὴν πρώτην φιλοσοφίαν. Nunc et cognoscimus quid sibi velint versus quidam in initio Thesmophoriazusarum (14 sqq.)

αἰθὴρ γὰρ ὅτι τὰ πρῶτα διεχωρίζετο
καὶ ζῷ' ἐν αὑτῷ ξυνετέκνου κινούμενα
ᾧ μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτ' ἐμηχανήσατο
ὀφθαλμὸν ἀντίμιμον ἡλίου τρόχῳ,
ἀκοὴν δὲ χοάνης ὦτα διετετρήνατο.

Apparet Euripidem suam ῥῆσιν non usque ad finem perducere sed ab interlocutore molesto interrumpi. Sed hoc certe cognoscitur et hic Euripidem a principiis Diogenis illius initium capere atque ad creationem singulorum sensuum explicandam procedere. Immo et haec viditur fecisse vestigia Apolliniatis premens. Nam docebat hic (cf. Dielesii Doxogr. p. 510)[12]) fieri τὴν ἀκοὴν ὅταν ἐν τοῖς ὠσὶν ἀὴρ κινηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἔξω διαδῷ πρὸς τὸν ἐγκέφαλον similiaque de sensu videndi (cf. ibidem)

Ad rationem singula tractandi progredientes monemus primum apud utrumque oblatam miram quandam cupiditatem scite, distincte, docte loquendi. Hoc ex studio fluxerunt illi μεριμνοφροντισταί (100), illi λόγων ἀκριβῶν σκινδάλαμοι (130), hinc τρίμμα, κρόταλον, παιπάλη (260) Nubium, hinc et illae ἀντιλογίαι, λογισμοί, στροφαί (775),

12). cf. et Doxogr. p. 406. 342.

multaque eiusmodi Ranarum. Nimis autem perspicuum hoc per omnes eas fabulas, in quibus aut Socrati aut Euripidi locus conceditur, quam ut pluribus egeat exemplis. Illud autem adnotamus multum operae et sudoris utrumque consumere in enucleanda vi singularum vocum, in definiendo genere verborum, aliis eiusmodi studiis. Cui non hic ante oculos versatur illa dissertatiuncula Socratica de genere vocum (ἀλεκτρυών, ἀλεκτρύαινα, κάρδοπος, καρδόπη, Ἀμυνίας Nub. 660sq·) cui non et initium Thesmophoriazusarum, quo de vi verborum ἀκούειν et ὁρᾶν agitur, cui denique non illa censura, quam Euripideam subeunt prologi Aeschylei in Ranis (1125 sqq.)? Ne minima quidem causa est, cur negemus haec omnia facile commutari posse ita, ut Socrates agat de vocibus ὁρᾶν et ἀκούειν, Euripides ad genus verborum accurate definiendum sese accingat eodemque modo et cetera transponantur.

Hic et iterum mira quaedam similitudo monenda est, quae in universa indole duarum fabularum cernitur. In Nubibus ad docendum Phidippidem duo accedunt λόγοι, quos ἀγῶνα quendam certantes videmus.Et alter quidem sectator temporis acti praeclaraeque illius aetatis Marathoniae est, alter novis opinionibus refertus in modum Socratis fere loquitur. Hoc cum loco conferas illum ἀγῶνα simillimum in Ranis. Hic Aeschylus et Euripides plane eodem modo de palma certant proferuntque alter alteri easdem fere causas, quas et illi λόγοι' In altera parte — et in Ranis et in Nubibus — aspiciasho mines τετραπήχεις, bellicosos, Marathonios, arti gymnasticae deditos, qui tamen nihilominus modesto quodam habitu corporis ornati sunt, in altera ἀγοραίους, κοβάλους, πανούργους, similes. Accedimus ad aliam quandam partem morum philosophorum, dico illas μυρίας μηχανάς, in quibus plurimus est et Socrates et Euripides. Hoc satis iam indole ipsa non-

nullarum fabularum iudicatur. Nam propter hoc ipsum petitur et Euripides a Dicaeopolide et Socrates a Strepsiade, ut, qua sunt omnino astutia, omnibus eos angustiis liberent. Memineris hic et argumenti Thesmophoriazusarum, in quibus mirum in modum ingentibus techinis Euripideis Mnesilochus servatur. Vult igitur poëta suos philosophos quamvis ab usu hominum remotissimos nihilominus inprimis tum, cum aliqua spes lucri comparandi offeritur, speciem quandam astutiae et πολυμηχανίας prae se ferre, neque forte factum esse illud videtur, quod utrique nomen Palamedis attribuitur, Euripidi in Ranis (1451), Socrati in Nubibus (176).

Evasit e dissertatiuncula nostra persona quaedam Socratis e vitae veritate certo quodam consilio detorta itemque evasit persona quaedam Euripidis illius simillima ita, ut poëta deprehendatur singulorum nominum unice securus depinxisse imaginem firmi cuiusdam typi. Ne putaveris nos hic de homuncionibus ligneis quasi cogitare nervis modo huc modo illuc tractis. Ea, quae apud poëtam Aristophaneum licet quaerere, vasia quasi sunt alicunde, id est ex usu artis, sumpta, quae poëta semper καινὰς ἰδέας εἰσφέρων satis multiformi materia implevit, immo quae modo hac modo illa ratione disposuit quaeque ideo inprimis difficilius quam alibi fit, cognoscuntur, quod in alia fabula alii inserviunt proposito verbis orationis humanae haud dissimilia, quae quamvis uniuscuiusque usui patentia nihilominus ab alio ore in aliam detorquentur sententiam.

Perlegentibus nobis fabulas Aristophaneas Socrates et Euripides primarii typi viri docti evaserunt. Invenias autem et alibi huius personae vestigia accuratissime impressa. Dicimus primum Metonem ex Avium fabula notum mathematicum. Profert et ille sollemnem quandam gravitatem a viro docto nunquam neglegendam. Av. 9094

τίς ὁ κόθορνος τῆς ὁδοῦ; immo autem, id quod fortasse pluris aestimabitur, incipit et ille a philosophia quadam de aere excogitata, quae eadem est et Euripidi illi in Thesmophoriazusis ineuntibus.

Av. 1000 αὐτίκα γὰρ ἀὴρ ἐστι τὴν ἰδέαν
ὅλος κατὰ πνιγέα μάλιστα,

ad quod principium et Socrates in omnibus quaestionibus semper accedit.

Apte autem hic Meto fines Avium et Nephelarum, quibus et Socrates et Euripides se adscripserunt, utpote vere metaphysicus alazon Diogenisque illius sectator, sibi elegit emetiendos. Hic et illud alicuius momenti est plane eandem πνιγέως imaginem et in Nubibus occurrere. Ibi enim Strepsiades pater filium sic docet (95sqq).

ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες, οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν ὡς ἐστὶν πνιγεὺς
κἄστιν περὶ ἡμᾶς οὗτος, ἡμεῖς δ' ἄνθρακες·

Praeterea et Socrates Aristophaneus ab arte gromatica non modo non alienus sed in ea plurimus esse putandus est. Prima fere Strepsiadi in casam Socraticam penetranti offertur gromatica ars, cui praecipuus locus (cf. vers. 200sq. Nubium) in disciplina conceditur. Immo et praeter alia instrumenta πίναξ quidam τῆς γῆς agricolae admirationem incutit, sicuti et nostris temporibus videmus globum, quem dicimus, principem fere in armamentario viri docti scaenici locum tenentem. Hic et afferendi sunt versus 175 sqq Nubium, quibus Socrates in hac ipsa arte haud sine fructu sane ille versatus depingitur. Vocatur et hic ὁ διαβήτης in usum. Nunc et illos locos, quibus unicis praeter hunc Avium vox κανών occurrit, haud forte quadam scriptos esse apparet, si quidem Euripides (Ran. 956) gloriatur se docuisse λεπτῶν κανόνων εἰσβολάς itemque et illum, ubi Aeacus certamen Euripideo more decertandum sic describit (Ran. 799) καὶ κανόνας ἐξοίσουσιν . . . . . Euripides enim

utpote vir vere doctus, et artis gromaticae rationem adhibet in diiudicandis tragoediis orationisque facetiis. Ita nobis interpretantibus non voces singulae, sed firma quaedam ratio facetiarum evadit. Sed redeamus ad Metonem, de quo et haec addidisse iuvat: Sicuti in versu 1008 ille gromaticus his verbis laudatur ἄνθρωπος Θαλῆς, ita et in Nubibus de Socrate fit. Nam nihil aliud sibi volunt verba Strepsiadis (in versu 180) τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν; quam hoc ipsum: Ecce, hic habemus alterum quendam Thalen. Nunc et lucem accipiunt duo loci adhuc vix satis explicati. In Avibus (690 sqq). chorus profitetur se Atheniensibus novam quandam cosmogoniam esse traditurum, qua accepta Prodicum valere iubere liceat. Quid Prodico philologo cum talibus rebus? Augetur difficultas altero versu Nubium (360) ubi idem Prodicus μετεωροσοφιστής nominatur. Nos nunc scimus arte coniunctam esse opinionem astronomi cum typo alazonis docti, quae sententia postea vel magis evadet firma.

Huic ordini virorum doctorum et dignus est, qui attribuatur, ille poëta Avium. Nam primum quidem profert illam inanem gravitatem, quam in Socratibus Euripidibusque cernere consuevimus, cum quibus et de palma negligentiae et sordium certat. Nam et crinibus gaudet incomptis atque passis (cf. v. 911 et Nub. 835) et fert ὀτρηρὸν [= τετρημένον] ληδάριον. Vestimenti autem inopia frigorem pati cogitur sicuti Socrates 935: πάντως δέ μοι ῥιγῶν δοκεῖς. cf. Nub. 416 — 441. Nominatur denique σοφός (934) quae propria quaedam apud Aristophanem et alibi significatio talium virorum est. Studium sibi parandi vestimenti haut inepte suis tumidis versibus significat ita, ut Peithetaerus denique servum quendam illi poëtae misero primum spolada, deinde chitonem dare iubeat. Hac ex scena nobis videmur et alios fructus percipere. Primum quidem probari videtur

recte eos agere, qui loco quodam vexato Nubium una cum codicibus Socratem θοιμάτιον e palaestra surripientem faciunt. Similitudo horum duorum alazonum et in hac re summa esse ab omnibus concedetur. Deinde probatur et illud Euripidem iam ex suae ipsius personae necessitate pannis obsitum esse. Habes enim hic collegam, minime tamen πτωχοποιόν, sed Pindarum qui studet aemulari et

per audaces nova dithyrambos
verba devolvit numerisque fertur
lege solutis.

Nihilominus panni et sordes in tanta gravitate! Quo artiorem videmus texturam fieri huius personae, eo plus iam hic optimo iure confidimus nobis licere contendere fictum esse Euripidem vel neglectis personis scenicis huius poëtae in modum poëtae Avium omniumque doctorum alazonum sordidum specieique corporis negligentium. Alazon enim propria est quaedam huius personae significatio. Sic significatur Meto Aristophaneus (Av. 1016). sic et Socrates quique illius sequuntur sectam (Nub. 448. 102. 1493.). Est alicuius momenti hic meminisse iam Aristotelem alazona pro typo eximie comico habuisse eumque et una cum duobus aliis τοῦ εἴρωνος itemque et τοῦ βωμολόχου quasi typum primarium uniuscuisque comoediae commemorasse. [13]) Ribbeckianus ille liber, qui inscribitur nomine alazonis, de Aristophane satis fere habet singulos locos collegisse, quibus vox ipsa alazonis commemoratur. Tamen illud et sic cognoscitur: Bei Aristophanes ist er (scil. alazon) zu einer vollen Bedeutung entwickelt und als verächtliche Bezeichnung festgehalten für solche, welche durch ihr Auftreten und Behaben den Schein eines Inhalts erwecken wollen, der ihnen fehlt.

13) cf. proleg. de com. X 6 Kaibel. Ethic. Nic. II p. 1108 a 21 Ar. Rhet. III 1419 b 7. Cramer Anecd. I. 403.

Quaerentes typum docti alazonis si quidem fines Aristophaneae artis nunc relinquimus, primum, sicuti consentaneum est, in antiqua comoedia attica morabimur. Attamen ex fragmentis quaevis alia facilius quam typum quendam cognoscas. Tamen hic pauca, quae in rem quadrant, afferendi occasio datur.

In Conno Ameipsiae Socratem praecipuum locum tenuisse satis notum. Unicum fragmentum ad rationem philo-
nuissi satis notum. Unicum fragmentum ad rationem philosophi describendi pernoscendam aptum afferatur (9K).

Σώκρατες, ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων,
πολλῶν δὲ ματαιόταθ' ἥκεις
καί σὺ πρὸς ἡμᾶς; καρτερικός γ'εἶ.
πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο;
τουτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν
γεγένηται.
οὗτος μέντοι πεινῶν οὕτως οὐπώποτ' ἔτλη
κολακεῦσαι

Attuli hos versus, ut demonstrarem, et hic Socratis speciem plane in modum Nubium fabulae in scenam introductam esse.

πεινῆν et Aristophaneus Socrates docet et ipse didicerat neque minore vi poëta Avium et Socrates Nubium premebatur quaestione illa

πόθεν ἄν μοι χλαῖνα γένοιτο

quam hic philosophus. Omnino et Diogenes Laertius, cui hos versus debemus (II 27), hoc modo praefatur: Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι παράγων αὐτόν φησιν . . . . . .

Ea autem quae de hac fabula vigere videtur opinio, quasi ex ea evaserit imago quaedam aliquo modo honorifica philosophi a Nubium illa aliena, nullo modo ex ea, qua utimur materia, probari potest. An re vera tale quid concludi potest ex verbis Σώκρατες, βέλτιστ' ὀλίγων? Nonne potius hic iocus est intellegendus ex more illo comicis

consueto, ut παρ' ὑπόνοιαν loquantur neque multo distat ab illo Shakespeareano de Falstaffio prolato: Worin spitzbübisch als in allen Dingen? Worin löblich als in gar nichts? Facetiae singalares insunt in hoc versu ita, ut pro eo, quod desideras, πάντων dicatur ὀλίγων, atque magnopere vereor, ne haud ita magni aestimandi sint illi ὀλίγοι, inter quos Socrates primarium obtinet locum. Neve et nimium attribuas ponderis verbis extremis, quibus Socrates laudari videtur. Neque enim severe rem rem agere putandus est ille, qui uno quasi spiritu τουτὶ τὸ κακὸν crepat laudesque adiungit.

A comicis autem atticis saepius — id quod alibi contextus fluxu toto servato bene apparet — ne laudari quidem iuvat.

Praeter Ameipsiam et Eupolis Socratem tetigit, attamen scholia Aristophanea, quibus hi versus afferuntur (cf. schol. ad vers. 97 Nubium, Eup. frqt 352, 361 K) tanti ad nostram opinionem firmandam momenti sunt, ut totum hunc locum quin exscribamus facere non possimus. Apparet enim ex his verbis illud ipsissimum scholiastam similiter iudicasse de hac quaestione Socratis Aristophanei ac nos, ita ut Aristophanes ad suum Socratem scenicum depingendum consueta quadem persona docti alazonis usus sit πνιγεύς: ταῦτα δὲ πρότερος Κρατῖνος ἐν Πανόπταις δράματι περὶ Ἵππωνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει, ἀφ' οὗ στοχαζόμενοι τινές φασιν, ὅτι μηδεμιᾶς ἔχθρας χάριν Ἀριστοφάνης ἧκεν ἐπὶ τὴν τῶν Νεφελῶν ποίησιν (nonne putas contra huius aetatis quasdam opiniones disputari?) ὅςγε μήτε ἴδιον τι μήτε ἁρμόττον ἀλλὰ μηδὲ πρὸς ἓν ἔγκλημα ἦλθε Σωκράτους, δύο γὰρ κατ' αὐτοῦ ταῦτα προθεὶς ἐγκλήματα τὸ περὶ οὐρανοῦ ὅτι ἐστὶ πνιγεὺς καὶ ὡς ἱκανός ἐστι τὸν ἥττω λόγον διδάσκειν καὶ τὸν κρείττονα, τὸ μὲν κοινὸν τῶν φιλοσόφων ἀ-

πάντων ἐπήγαγεν ἔγκλημα, φαίνεται δὲ καὶ ἐπὶ τούνωτ ὁ Ἵππων κωμῳδηθῆναι φθάσας. τὸ δὲ τῶν ἐγκλημάτων οὐδὲ τὸ σύνολον ἐπικοινωνεῖ φιλοσοφίᾳ. οὐ γὰρ τοῦτο ἐπαγγέλλονται οἱ φιλόσοφοι, δεινοὺς ποιήσειν λέγειν. ἴδιον δὲ τοῦτο μᾶλλον τῆς ῥητορικῆς, ὡς ἐπ' ἀμφοτέροις τὸν φιλόσοφον καθαρεύειν. οἳ δὲ ὅτι ὁλόκληρον εἰς αὐτὸν συνέταξε δρᾶμα δι' ἔχθραν νομίζουσιν αὐτὸν πεποιηκέναι οὐκ ὀρθῶς οἴονται. πρῶτον μὲν γὰρ Δίφιλος εἰς Βοΐδαν τὸν φιλόσοφον συνέταξε ποίημα, δι' οὗ καὶ εἰς δουλείαν ἐρρυπαίνετο ὁ φιλόσοφος, οὐ διὰ τοῦτο δὲ ἐχθρὸς ἦν, ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο.

Narratur denique Eupolidem facere philosophum poculum furantem, similiter atque Aristophanes suum vestem surripientem, induxerat. Quid nobis post testem locupletissimum uberrimaque etiam gaudentem copia comoediarum servatarum opus est aliis testibus?

Atque de Cratineis Panoptis verbis apertis scholiorum contenti sumus.. Sed Eupolidem cum cognoverimus similiter Socratem descripsisse atque Aristophanem, (qui et apud illum nominatur πτωχὸς ἀδολέσχης frgt. 352 K) non occasione oblata silentio transibimus Colacas Eupolideam fabulam, in qua typus parasiti mirum in modum cum philosopho coniunctus difficultatem indagandi parit. Afferimus hic ea tantum quae in nostros animos typum scholastici Aristophanei revocant.

Frgt. 146 Protagoras est ξένος, ἀλαζών, immo μετεωροφέναξ quod re vera nullo modo de eo dici poterat. Non potest dubitari quin de omnibus eiusmodi fabulis exstet eadem quaestio, quae de discrimine inter verum et Aristophaneum Socratem mota est. Omnes enim philosophi scenici secundum regulam certae cuiusdam normae mutati sunt. Frgt. 147K. Sicuti Socrates communes vitae res cer-

ta quadam ratione pertractat, ita et Protagoras de eo, quo potus et pulmo coniunguntur vinculo philosophatur.

Itaque cavendum est, ne Roemero assentiamur, si quidem putat Aristophanem in illa de pulicis saltu narratiuncula irridere τὸ αὐτοσχεδιάζειν a Socrate vero detractum, cum et alibi videamus irrideri doctum alazonem ita, ut vilia atque levia cotidiano usu oblata tumida quadam oratione exponat.

In ceteris versibus servatis — id quod iam supra significavimus quodque titulo ipso fabulae indicatur — praevalet typus edacis eiusdemque et blandi parasiti, qui hic poëtae plus quam ille philosophi ante oculos videtur esse versatus.

Deducimur autem hoc loco nostrae dissertatiunculae ad genealogiam docti alazonis. Videtur tristis quaedam sors premere latissimam illam provinciam mimorum, quos ad cognoscendos nostris demum diebus Reich aciem oculorum auxit. Nihilominus in hac ipsa regione haud sine aliquo fructu esse nos moraturos speramus. Evadit enim typus docti alazonis quasi vetustissimus ex loco quodam Athenaei, vel, si hoc mavis, Sosibii, noto sane illo neque tamen, ut videtur, omnibus a partibus perspecto, facile copiosissimo, si quidem ea, quae de mimo nobis tradita sunt, lustras. Nominat autem Athenaeus illo loco duas personas comicas, quas inprimis Lacedaemoniorum mimi coluerint. (XIV 621 d. e.) ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν ἢ ξενικὸν ἰατρὸν τοιαυτὶ λέγοντα ὡς Ἄλεξις ἐν Μανδραγοριζομένῃ διὰ τούτων παρίστησιν

ἐὰν ἐπιχώριος
ἰατρὸς εἴπῃ· τρυβλίον τούτῳ δότε
πτισάνης ἕωθεν, καταφρονοῦμεν εὐθέως.
ἂν δὲ πτισάναν καὶ τρυβλίον, θαυμάζομεν
καὶ πάλιν ἐὰν μὲν τευτλίον, παρείδομεν.

ἐὰν δὲ σεῦτλον, ἀσμένως ἠκούσαμεν.
ὡς οὐ τὸ σεῦτλον ταὐτὸν ὂν τῷ τευτλίῳ.

Hunc locum dignissimum esse putavi, qui hic exscribatur. ξενικὸν enim praecipue apparet debere esse hominem alazonem medicum eundemque et rarorum verborum sectatorem. Peregrinus autem homo iam ex sua ipsius natura in usu scaenico omnium temporum plurimo aspersus est sale largissimamqne praebuti sopiam ridendi. Nonne Monachii vel nostris diebus rumpuntur fere risu theatri subsellia, cum Berolinensis blatero et alaco in scaenam introducitur? Quis es nostrum est, qui superciliis contractis Britannicum a germanico quodam mimo agi viderit? Ac hic quidem nescio an ille versus Nubium (830)

τίς φησι ταῦτα; Σωκράτης ὁ Μήλιος.

quamvis ei insit aperta significatio Diagorae Melii, tamen et idem aliquid facetiarum imagini Socratis addat eo, ut illi quasi peregrinus civis nominetur. προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι ἄτιμος itaque et alazon, qui prophetae speciem prae se fert.

Alexidis versus supra allati demonstrant medicum mimorum re vera nil fere esse nisi consuetum alazonem doctum, cotidiano usu illum cum plebe coniunctum atque aptissimum, qui in usum plebeculae depingatur.

Viget igitur hic illud Goethianum:

Ein Leibarzt muss zu allem taugen.
Wir fingen bei den Sternen an
Und endigen bei Hühneraugen.

Addimus iam hic testimonium quoddam de usu personae medici in mimo posterioris aetatis. In ea enim mini apologia, quam Choricius scripsit (ed. Graux ex codice quodam Matritensi Rev. de phil. 1. (1877) pag. 212 sqq.) inveniuntur haec verba (V, 4): κἂν ἰατρὸν ἢ ῥήτορα σχηματίσηται μῖμος ἢ μοῖχον ἢ δεσπότην ἢ δοῦλον κτλ. Facile intellegitur quam ob rem hic cum medico coniungatur et rhetoris

persona, qui similem quandam eloquentiam eandemque vanae gloriae captationem, eandem denique gravium vocum affectationem proferebat atque ille. Rhetoris autem mentio repetitur in hac apologia paulo post (XIII. 7) ἔνι καὶ στρατιώτας ἰδεῖν καὶ ῥητόρων ἀκοῦσαι.

Nunc et confido explicari posse versus duo ex Althaea Theopompiana servatos.
(frgt. 2 K).

τὴν οἰκίαν γὰρ εὗρον εἰσελθὼν ὅλην
κίστην γεγονυῖαν φαρμακωπώλου Μεγαρικοῦ.

Cum de pharmacopola Megarico nil constaret, iam de interpretatione horum versuum desperatum est. Nos intellegemus „inveni aedes tam multis atpue variis rebus impletas esse quam cista pharmacopolae Megarici solet esse" i. e. pharmacopolae iu mimo Megarensium acti, praesertim cum sit γέλως Μεγάρόθεν κεκλεμμένος apud Aristophanem e scena Megarensium surreptus (Vesp. 67). itemque Μεγαρικά τις μηχανά. Ach. 738 non ex Megarensibus ipsis sed ex usu scenico Megarensium petita. Est autem pharmacopolae personae non minus fere nota quam medici in scena Attica. Scripserunt pharmacopolam Alexis, Muesimachus, e pharmacomantide Anaxandridis hi servantur versus in nostrum propositum optime quadrantes:

ὅτ' εἶμ' ἀλαζών, τοῦτ' ἐπιτιμᾷς; ἀλλὰ τί;
νικᾷ γὰρ αὕτη τὰς τέχνας πάσας πόλυ
μετὰ τὴν κολακείαν. ἥδε μὲν γὰρ διαφέρει.

Medicum scripserunt Antiphanes, Aristophon, Philemo, Theophilus.

Ex Romanorum palliata mihi unicum huius typi exemplum notum est in ea tamen, qua premimur inopia comoediarum neoatticarum, pretiosissimum: Men. 843-965.

Et huic alazoni οὐ σχολή.

Odiosus tandem vix ab aegrotis venit. μελαγχολῶν igitur sicuti Socrates. Ingentia de sua arte mendacia profert: Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apolli-

ni autem brachium. Verba comoediae „Atque eccum incedit“ nobis illius Metonis haud sine aliqua gravitate et dignitate pedes proferentis memoriam iniciunt. Praeterea autem et Plautinus hic medicus inanem gloriam verborum petit:

Num larvatus aut cerritus? Fac sciam.
Num eun viternus aut aqua intercus tenet.

Mira haec gravitas eodem modo et in sequentibus versibus viget. Et in Atellana videmus typum medici suas agentem partes. Scripsit enim Pomponicus fabulam, quae inscribitur Medicus, Novius alteram, quae inscribitur Mania medica.

Sic et non mirandum est easdem partes resurgere apud recenciores. Hac quidem dignum est, quod attendatur, orationem medici latinis verbis saepe ornari recentioribus temporibos, quae ratio non differt a medico illo mimico a Sosibio descripto peregrino inusitatasque voces sectante. Exempli gratia in Mandragola Macchiavelliana Callimaco, amator Lucretiae, uxoris Niciae iuridici, medici personam induens frustula latinae orationis quasi testes suae artis profert Niciaeque κερασφόρῳ illi futuro quasi medicus probatur. „Nam“ inquit praeter alia, „causae sterilitatis sunt aut in semine aut in matrice aut in instrumentis seminariis aut in virga aut in causa extrinsica“. In mimo Italorum dottore exstat consueta persona. Memineris denique illorum apud Moliarium medicorum, illorum denique apud nostsates medicorum in mimis quadragesimae temporibus actis quorum permagnam copiam Keller collegit: Jam invenies omnes eos non modo cum arte medendi coniunctos esse, sed inprimis et praebuisse illam ostentationem, quam alazones docti in vocibus eligendis et in synonymia verborum observanda ponunt. Itaque Menander his verbis consuetam scenae de hac persona opinionem proferre putandus est:

οἷα δὴ φιλοῦσιν ἰατροὶ λέγειν
τὰ φαῦλα μείζω καὶ τὰ δείν' ὑπέρφοβα
πυργοῦντες αὐτούς.

Attamen vestigiis medici scenici pressis ad alazonem doctum philosophum iuvat pedes referre, cum quo arte illum coniunctum esse cognovimus.

Atque hic quidem primum quaestio proponitur, num Epicharmus putandus sit hanc personam in suis mimis introduxisse.

Artis rhetoricae nimiam affectationem Epicharmus saepius notavit. Dignum est, quod legatur, illud lepidum exemplum figurae ἐποικοδομήσεως fragmento 148 K. servatum, dignum et fragmentum 9 K.

(K) ὡςπερεὶ πονηραὶ μάντιες,
αἵθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωρὰς ἅμ' πεντόγκιον
ἀργύριον, ἄλλαι δὲ λίτραν, ταὶ δ'ἀν' ἡμιλίτριον
δεχόμεναι καὶ πάντα γινώσκοντι τῷ . . . λόγῳ.

Neque enim esse videtur, quod cum his mulieribus vaticinantibus, quam plurima praemia auferentibus, omnia, siquidem verbis fidem non negas, perspicientibus Epicharmus contulisse putandus sit nisi alazones quidam Πανόπται lucri cupidissimi.

Hauriri potest philosophia quaedam ab aethere initium capiens ex multis fragmentis, de quibus tamen dubitatur sintne comoediis an carmini cuidam physico attribuenda.

Illud dictum autem (frgt. 246 K.)
αὔτα φύσις ἀνθρώπων, ἀσκοὶ πεφυσαμένοι
(i. e. anima, quae aetheris cognatione tenetur, in corpore „tamquam in vesica" conclusa est) quin e comoedia haustum sit, equidem non dubito, cum plane eodem modo et apud Aristophanem saepe nomina trita et pervulgata rerum vilium in usum cotidianum comparatarum in philosophiam irrumpant:

e. gr. Nub. 96 caelum • πνιγεύς.
Thesm. 18. auris • χοάνη.

Accuratius perspicimus usum philosophiae qualis fuerit in comoediis Epicharmeis ex fragmento 170 K. Hic exponit philosophus quidam in finibus rerum divinarum nil esse aut primum aut secundum, sed omnia in sempiterna constantia perseverare. Jam audimus alterum quendam, cuius verba interlocutorem in modum Strepsiadis interpellantem redolent:

ἀλλὰ λέγεται μὰν χάος πρᾶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.

Pergit ille alter philosophari. In regione terrestri autem regnare quasi tempus et numerum, ita, ut semper alia ex aliis prodeant fiantque haec addendo maiora, illa detrahendo minora.

ὧδε νῦν ὅρη
καὶ τὸς ἀνθρώπους. ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δέ γα μὰν φθίνει.
ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.
ὁ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν κοὔποκ' ἐν ταὐτῷ μένει,
ἕτερον εἴρηκα τόδ' ἤδη τοῦ παρεξεστακότος.
καὶ τὺ δὴ κἠγὼ χθὲς ἄλλοι καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομες,
καὖθις ἄλλοι κοὔποχ' ὡυτοὶ κὰτ τὸν «αὐτὸν αὖ» λόγον.

Huc rettulerunt Bernays (op. I. 109). et Lorenz (Leben und Schr. des Koers E. pag. 184) locum quendam Plutarchi: (de sera num. vind. pag. 559 b.)

μᾶλλον δ' ὅλως ταῦτά γε τοῖς Ἐπιχαρμείοις ἔοικεν ἐξ ὧν ὁ αὐξόμενος ἀνέφυ τοῖς σοφισταῖς λόγος. ὁ γὰρ λαβὼν πάλαι τὸ χρέος νῦν οὐκ ὀφείλει γεγονὼς ἕτερος, ὁ δὲ κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ἐχθὲς ἄκλητος ἥκει τήμερον. ἄλλος γάρ ἐστιν

Nunc demum perspicimus aperte, quem locum tenuerit philosophia in comoedia Epicharmea: Facere non possumus, quin illam comoediam, ex qua frgt. 170 depromptum est quamque significant verba Plutarchi, Nubium simillimam fuisse affirmemus. Strepsiades quidam, quem

aes alienum contractum in angustias immiserat, ad Socratem quendam pedes protulerat. Jam docebatur de omnium rerum vicissitudine perpetua in modum Heracliti fere, qui negaverat esse quomodo in idem bis descendas flumen. Huic disciplinae adsumus in fragmento 170. Audimus et discipulum ipsum ea, quae in illa, qua imbutus est rusticitate, praesto sunt, proferentem. Ille Strepsiades plane alter factus homo ex disciplina philosophi prodit. Jam habet, quo modo creditorem depellat plane in modum fratris Aristophanei qui ea, quam modo didicit, sagacitate et subtilitate Pasiam et Amyniam obruit et aere debito frustratur. Videtur ille modo philosophus factus Epicharmeus et alibi fructum percepisse ex disciplina vix absoluta: ὁ δὲ κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ἐχθὲς ἄκλητος ἥκει τήμερον· ἄλλος γάρ ἐστιν· Depulit igitur similibus facetiis et aliquem hominem, (parasitum?) quem antea invitaverat. Nonne ex hoc loco Plutarchi et illud accipimus comoedias Epicharmeas in modum Aristophanearum in altera certe parte sua varias scenas introducere, quibus multitudo quaedam hominum opprobriis obruta depellebatur?

N o v a a u t e m c o m o e d i a G r a e c o r u m mira quadam constantia hunc typum eo, quo eum in fabulis Aristophaneis expressum invenimus, modo servavit. Collegi exempla haec:

Amphis in Dexidem. (frgt. 13.)

ὦ Πλάτων,
ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σ κ υ θ ρ ω π ά ζ ε ι ν μόνον
ὥσπερ κοχλίας σ ε μ ν ῶ ς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς.

Alexis in Pythagorizusa (frgt. 197) irridet Pythagoristarum ῥύπον et ἀλουσίαν et ῥῖγος· ῥυπᾶν et dicuntur Pytagoristae in frgt. 9. Aristophontis.

Epicrates (frgt. 11) describit haud inepte meditationes Academicorum de plantis institutas.

κἆτ' ἐν τούτοις τὴν κολοκύντην

ἐξήταζον, τίνος ἐστὶ γένους.
χρόνον οὐκ ὀλίγον διεφρόντιζον
κᾆτ' ἐξαίφνης ἔτι κυπτόντων
καὶ ζητούντων τῶν μειρακίων
λάχανόν τις ἔφη στρογγύλον εἶναι,
ποίαν δ' ἄλλος, δένδρον δ' ἕτερος. sqq.

Plane autem falleretur is, qui putaret ex his verbis concludendum esse aliquod artis botanicae in Academia vigens studium. Facetiae potius hic, sicuti et in illa de pulicis saltu narratione, positae sunt in eo, quod philosophi meris minutiis e cotidiana vita haustis acumen ingenii exercent. Illud autem inprimis dignum est, quod moneatur: in scena non curari ullum discrimen singularum sectarum sed omnes eodem modo in risum verti.

cf. Alexis 1.

λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα. συγγενοῦ τρέχων
Πλάτωνι καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον

Alexis 94.

τοῦτ' ἐστιν Ἀκαδήμεια, τοῦτο Ξενοκράτης;
πόλλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ
καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
ὥς φασι, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
ἐς κόρακας ἔρρειν φασὶν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Haec mirum in modum ad Nubium argumentum alludunt.

Aristophontis frgt. 8 e comoedia quadam haustum est, quae inscribitur Πλάτων. Hic magister quidam plane in modum Socratis Aristophanei promittit.

ἐν ἡμέραις τρισὶν
ἰσχνότερον αὐτὸν ἀποφανῶ Φιλιππίδου.

Aristophontis frgt. 9 ad Pythagoristas spectat, qui ῥυπᾶν et τρίβωνας φορεῖν dicuntur. Eiusdem poetae frgt. 10 in eadem re versatur. (cf. voces ἀνυπόδητος, ῥύπος πρὸς τὸ μὴ λοῦσθαι, ἐλαίῳ μήτε χρῆσθαι, ἀλουσία nobis

ex Nubibus bene notas).

In frgt. 12 et 13 invenias voces eiusdam generis ad depingendos Pythagoristas adhibitas ῥύπος, φθεῖρες (memineris Strepsiadis in phrontisterio vexati) ἀλουσία, τρίβων. Cratinus ὁ νεώτερος in Tarentinis si quidem Pythagoristas hoc modo irridet (7)

ἔθος ἐστὶν αὐτοῖς, ἄν τιν' ἰδιώτην ποθὲν
λάβωσιν εἰσελθόντα διαπειρώμενον
τῆς τῶν λόγων ῥώμης, ταράττειν καὶ κοκᾶν
τοῖς ἀντιθέτοις, τοῖς πέρασι, τοῖς παρισώμασιν,
τοῖς ἀποπλάνοις, τοῖς μεγέθεσι νουβυστικῶς

apparet haec ad quemvis alium aptius referri posse quam ad Pythagoreos. Attribuitur autem constanti quodam usu idem semper armamentarium doctis alazonibus neque iam mirabimur Socratem superciliosam quandam gravitatem prae se ferre, περὶ φύσεως disputare, orationes et iustam et iniustam domi fovere atque alere, corporis speciei esse negligentem.

Ex palliata Romanorum hic in nostrum usum vocamus Lydum in Bacchidibus Plautinis magistrum. Memorabile iam illud est comparari eum, ut et in Metone et Socrate fit, cum Thalete.

121: o Lyde es barbarus,

quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem.

Est odiosus (136), sicuti et medicus Plautinus Menaechmorum omnesque alazones, ὠχρός denique more Socratico.

153. Nil moror

discipulos mihi esse plenos sanguinis
valens afflictat me vacivom virium. cf. et 433.

Haud indigna omnino fata huius personae per fines artis comicae sunt, in quibus diutius moremur.

Ex Theocrito, scriptore mimico risu haud leviter adsperso, hunc mihi enotavi locum

XIV. 5. τοιοῦτος πρώαν τις ἀφίκετο Πυθαγορικτάς,
ὠχρὸς κἀνυπόδητος.

Plurimi autem in hac depingenda persona sunt Lucianus et Alciphro, novae comoediae Atticae studiosissimi sectatores.

cf. Icaromen. 29. τὰς ὀφρῦς ἐπάραντες καὶ πώγωνας ἐπισπασάμενοι (scil. philosophi).

Bis accusatus. 33. σεμνὸν ὄντα καὶ θεῶν τε πέρι καὶ φύσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων περιόδου σκοπούμενον, ὑψηλὸν ἄνω ἀπὸ τῶν νεφῶν ἀεροβατοῦντα.

In Hermotimo ἢ περὶ αἱρέσεων dialogo Lucianus multitudinem quandam philosophorum de asini umbra certantem facit.

In Nigrino loquitur quidam ad Lucianum nuper philosophum factum sic: ὡς σεμνὸς ἡμῖν σφόδρα καὶ μετέωρος ἐπανελήλυθας. Inprimis in hoc dialogo memorabile est personam philosophi cum medici coniunctam esse. Nigrinus enim est et ὀφθαλμῶν ἰατρός, quam et ob causam a Luciano praecique aditus esse narratur. Non inutile est in hoc Nigrino accuratius versari
cf. κόψας τὴν θύραν τοῦ παιδίου εἰσαγγείλαντος ἐκλήθην.
προὔκειτο δὲ ἐν μέσῳ καὶ πινάκιόν τι τῶν ἀπὸ γεωμετρίας σχημάτων καταγεγραμμένον καὶ σφαῖρα καλάμου πρὸς τὸ τοῦ παντὸς μίμημα ὡς ἐδόκει πεποιημένη.

Nigrinus de sua ipsius ratione vivendi haec profert (18) οἰκουρεῖν εἱλόμην . . . . καὶ καθίσας ἐμαυτὸν ὥσπερ ἐν θεάτρῳ μυριάνδρῳ σφόδρα που μετέωρος ἐπισκοπῶ τὰ γιγνόμενα.

cf. et 26 τοσούτου δέων ὀρέγεσθαι τῶν οὐδὲν προσηκόντων, ὥστε μηδὲ τῶν ἑαυτοῦ φθειρομένων ποιεῖσθαι πρόνοιαν.

Ex Hermotimo haec mihi enotavi

2 ὠχρὸν ἀεὶ ὑπὸ φροντίδων καὶ τὸ σῶμα κατεσκληκότα.
5. μετὰ τῶν θεῶν καὶ ὑμᾶς προσευξόμεθα ὑπερνεφέλους

γενομένους.

In Jove tragoedo Mercurius sic patrem hominumque deumque alloquitur

Ὦ Ζεῦ, τί σύννους κατὰ μόνας σαυτῷ λαλεῖς
ὠχρὸς περιπατῶν, φιλοσόφου τὸ χρῶμ' ἔχων

cf. dialog. mort. 10. 8.

Icaromen. 5. σκυθρωπότης ὠχρότης, ὑψαγόραι, οὐρανογνώμονες, μετεωρολέσχης, ἀλαζονεία, ἀέρος ὕψη ἀναμετροῦντες, οὐρανοῦ πέρατα διορᾶν, σκυθρωποὶ καὶ σεμνοί.

Praeterea et innumerabilibus locis Lucianus philosophos grammaticosque consueta ratione depingit neque omnino in hac persona describenda fatigatur.

In Alciphronis epist. XIV libri III, ut et hunc scriptorem respiciamus, Academici plane eodem modo, quo alibi Stoici, Pythagorei, Peripatetici, alii, irridentur (χαίρειν τοὺς ἀλαζόνας ἐκείνους τοὺς ἀνυποδήτους καὶ ὠχριῶντας, οἳ περὶ τὴν 'Ακαδήμειαν ἀλινδοῦνται, ἐάσας τὰ μετέωρα πολυπραγμονοῦντας καὶ ἐπιτηδεύοντας.

Alc. I. 3. Stoicus quidam mominatur ἀνυπόδητος, ἐνερόχρως.

Alc. III. 64. Hic iterum Stoicus describitur, ad quem iuvenis quidam mittitur αὐστηρὸν πρεσβύτην καὶ ἀμειδῆ τὸν ἐκ τῆς Ποικίλης . . . . ὡς ἂν παρ' αὐτῷ λόγων τινὰς σκινδαλμοὺς ἐκμαθὼν ἐριστικὸς καὶ ἀγκύλος τὴν γλῶσσαν γένηται . . . . διδάσκαλον σεμνὸν καὶ σκυθρωπόν.

Sic et meretrix queritur (I. 34) ἐξ οὗ φιλοσοφεῖν ἐπενόησας, σεμνός τις ἐγένου καὶ τὰς ὀφρῦς ὑπὲρ τοὺς κροταφοὺς ἐπῆρας.

In ep. 2. libri II. Epicurei cuiusdam plane consueto more ad Epicureos minime accomodato fit mentio : φθειριῶντος, (cf. Nubes) φιλονοσοῦντος, ἐχέτω — inquit meretrix maesta — τὰς περὶ φύσεως αὐτοῦ κυρίας δόξας

καὶ τοὺς διεστραμμένους κανόνας.
cf. et III. 55. Ἐτεοκλῆς ὁ στωικός, οὗτος ὁ πρεσβύτης, ὁ κουρειῶν τὸ γένειον, ὁ ῥυπαρός, ὁ τὴν κεφαλὴν αὐχμηρός. Ζημοκράτης ἐπὶ βαθεῖ πώγωνι σεμνυνόμενος. Ἀρχίβιος ὁ Πυθαγορικτὰς ὦχρον ἐπὶ τοῦ προσώπου πολὺν ἐμβεβλημένος, ὀξὺ καὶ ἐπίμηκες τὸ γένειον καθεικώς.

Apparet omnibus ex his locis et Alciphronem omnino nullum discrimen facere in singulis sectis describendis. Omnia, quae profert, continentur rebus iam ex vetustissimis temporibus consuetis, quas modo huic modo illi philosopho attribuit.

Omnia haec abeunt ad unam eandemque personam, quam thesaurus quidam facetiarum, cui nomen Philogelos datum est, scholasticum significat. Hic dottore scinditur quasi in permultas personas, quales sunt medici, magistri, iuridici, ita tamen ut non desint, quibus coniungantur firmissimis communibus vinculis.

In Nubibus (vers. 331 sqq.) Socrates omnes eos nominat, quos nubes alant:

ἴσθ' ὅτι πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστάς,
Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας,
Κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας·
οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργούς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν

Hic vides omnes fere, quae huic generi alazonum attribui possunt, coniunctos.

Periit sane in omnia tempora quicquid inerat illis mimis, quorum naturam nobis aliquo modo adumbravit Sosibius, facetiarum, risus, cachinni neque unquam ad lucem redibit. Una nobis patet semita, qua fortasse propius ad mimi fines accedere possimus, Platonis dialogi. Multa ex mimorum ratione irrepsisse in dialogos huius sectatoris Sophronis Reich nuper — in universum sane

nimis locutus ille. — probavit. Nam summo tantum digito ethopoiiam ipsam attigisse putandus est. Instituere igitur conabimur syncrisin quandam alazonis docti, qualem ex Aristophane et mimo accepimus, cum scholasticis Platonicis capiemusque initium a Protagora. Atque hic quidam mira quaedam similitudo facile cognoscitur inter Acharnenses, Nubes, Protagoram dialogum. Introducitur doctus quidam alazon seu Socrates seu Euripides seu Protagoras. Ab hoc ut sapientia quadam imbuantur, accingunt sese Dicaeopolis, Strepsiades, quorum natura mirum in modum eadem est stupida et ironica, Socrates denique Platonis, persona quaedam alazoni plane contraria. Protagoras autem, id quod mimus et comoedia vult, ξένος est (309 C et saepius hoc haud sine aliqua gravitate notatur) σοφώτατος, (309 D, alibi) versatur denique nunquam fere extra aedes, sicuti et Socrates et Euripides, sicuti et inprimis illi discipuli Socratici, quos diutius ante ostium stare vetari supra in Nubibus legimus (311 A καὶ γὰρ τὰ πολλὰ Πρωταγόρας ἔνδον διατρίβει, ὥστε θάρρει, καταληψόμεθα αὐτὸν ἔνδον).

Pertinet autem sapientia illius ad τὸ ποιῆσαι δεινὸν λέγειν. Hanc artem requirit Hippocrates Platonicus non minus quam Dicaeopolis et Strepsiades. Adeuntibus offertur Protagoras quasi coryphaeus, circa eum choreutae, qui plane in modum eorum, qui in scena saltant, modo procedunt, modo retro eunt, ita tamen, ut semper aliqui ordo servetur semperque dux chori suum teneat praecipuum locum. Mox autem ea ratione utuntur, quam et solam dignam discipulo (Nub. 694 sqq.) Nubium esse legimus: sedent ἐπὶ βάθρων καὶ κλινῶν. 317 D. Hippiam ἐν θρόνῳ sedere non modo 315 C sed et tribus quattuorve lineis post narratur. De discipulis circumsedentibus haec dicuntur: ἐφαίνοντο δὲ περὶ φύσεώς τε καὶ τῶν μετεώρων ἀστρο-

νομικὰ ἄττα διερωτᾶν τὸν Ἱππίαν, ὁ δ' ἐν θρόνῳ καθήμενος ἑκάστοις αὐτῶν διέκρινε καὶ διεξῄει τὰ ἐρωτώμενα. Mentio quaedam Hippiae quasi μετεωροφένακος neque scopo ipso dialogi neque ulla alia causa desiderabatur. Neque apparet quid sit, quod Plato ex philosophia Hippiae haec astronomica elegerit, quae vix ullius momenti apud illum fuisse videntur. Attamen haec quaestio, vix ab illa natura ipsa diversa quaestione, quae tam saepe de Socrate Aristophaneo mota est, solvitur eo, quod alazon, modo adspiciatur ratione mimorum, illa ex Nubibus hausta metaphysica imbuitur.

Legas et haec, quae de Prodico proferuntur. 351 B: ὁ μὲν οὖν Πρόδικος ἔτι κατέκειτο ἐγκεκαλυμμένος ἐν κωδίοις τισὶ καὶ στρώμασι καὶ μάλα πολλοῖς, ὡς ἐφαίνετο. Utitur autem quasi phrontisterio οἰκήματί τινι, ᾧ πρὸ τοῦ μὲν ὡς ταμιείῳ ἐχρῆτο Ἱππόνικος

Quid Prodici valetudo infirma his verbis significata ad propositum dialogi?

Moneatur et mythus ille, quo Protagoras suam dissertationem incipit, mythus ille, quo et Meto et Euripides utitur. Alazonum enim semper est vendere fumos pro luce. Accedit et alia res: In Protagora Platonis inseritur interpretatio Simonidei cuiusdam carminis ab alazone ipso prolata, quam si accuratius perspicies cognosces plane illa ratione politam esse, quam et Euripides in censura Aeschyleorum versuum prae se fert. Uterque alazo nisus minuta quadam arte accurate definiendorum singulorum verborum discrepantiarumque in contextu verborum enucleandarum demonstrat illud iam a vetustissimis temporibus studium alazonibus consuetum.

Hippiae maioris Platonici dialogi iam in initio incidimus in illa consueta verba οὐ γὰρ σχολή (281B). Et hic, plane sicuti in Protagora et in Nubibus, accusatio mercedis acceptae involvitur bene laudibus:

ἱκανὸς εἶ πολλὰ χρήματα λαμβάνων ἔτι πλείω ὠφελεῖν ὧν λαμβάνεις. 281 C. (cf. Prot. 310 D. Nub. 95.)
In his verbis optima inest ironia, quasi Hippias non nisi pecunia accepta talia docere possit. cf. 282 CD. 283. 284 A.B. Satis est memorabile doctrinam Hippiae plane ex eisdem rebus esse compositam atque alazonis Socratici. Docet enim (285 CD).

a) τὰ περὶ τὰ ἄστρα τε καὶ τὰ οὐράνια πάθη

b) περὶ γεωμετρίας

c) περὶ λογισμῶν

d) περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν

Totum hunc cyclum eruditionis re vera Hippiae assignans vix minus falleris quam ex Aristophanis verbis Socratis naturam enucleans. Philosophatur Hippias solitarius 295 A. εἰ ὀλίγον χρόνον εἰς ἐρημίαν ἐλθὼν σκεψαίμην πρὸς ἐμαυτόν, ἀκριβέστερον ἂν αὐτό σοι εἴποιμι.

In exeunte dialogo Hippias summam omnis eruditionis esse contendit eam, ut λόγος ἥττων reddatur κρείττων. ξένος nominatur Hippias tribus locis 287 C, D, 292 E. Fingitur autem ad eum confugisse Socrates angustiis pressus (cf. 286 C sqq.) consueto et hoc comoediae modo. In Theaeteto (173 sqq) describit Socrates philosophum ita, ut mirum in modum sublimia cum bomolochiis misceat.
οὗτοι δέ που ἐκ νέων πρῶτον μὲν εἰς ἀγορὰν οὐκ ἴσασι τὴν ὁδόν, οὐδὲ ὅπου δικαστήριον . . . . νόμους δὲ καὶ ψηφίσματα λεγόμενα ἢ γεγραμμένα οὔτε ὁρῶσι οὔτε ἀκούουσι. σπουδαὶ δὲ ἑταιριῶν ἐπ' ἀρχὰς καὶ σύνοδοι καὶ δεῖπνα καὶ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι οὐδὲ ὄναρ πράττειν προσίσταται αὐτοῖς. εὖ δὲ ἢ κακῶς τις γέγονεν ἐν πόλει ἢ τί τῳ κακόν ἐστιν ἐκ προγόνων γεγονὸς ἢ πρὸς ἀνδρῶν ἢ ἐκ γυναικῶν μᾶλλον αὐτὸν λέληθεν ἢ οἱ τῆς θαλάσσης λεγόμενοι χόες . . . . . . τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ

δὲ διάνοια ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρά καὶ ὡς οὐδὲν ἀτιμάσασα πανταχῇ φέρεται κατὰ Πίνδαρον τά τε γὰρ ὑπένερθεν καὶ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα οὐρανοῦ τε ὑπὲρ ἀστρονομοῦσα καὶ πᾶσαν πάντῃ φύσιν διερευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὑτὴν συγκαθιεῖσα.

Sequitur fabella quaedam de Thalete, qui, dum coelestia curat, in puteum incidisse fertur . . . . . .
ἡ ἀσχημοσύνη δεινή, δόξαν ἀβελτερίας παρεχομένη. . . .
τὰ μὲν ὑπερηφάνως ἔχων, ὡς δοκεῖ, τὰ δ' ἐν ποσὶν ἀγνοῶν καὶ ἐν ἑκάστοις ἀπορῶν . . . . . εἰλιγγιῶν τε ἀπὸ ὑψηλοῦ κρεμασθεὶς καὶ βλέπων μετέωρον ἄνωθεν . . . . . ἀδημονῶν, βαρβαρίζων.

Quis iam erit qui in Aristophane offendat, quod Socratem depinxerit eodem modo, quo — ille se ipse eironis partibus susceptis? En, philosophus, modo adeat scenam aut mimica ratione depingatur, evadit consuetus dottore, qui per saecula saeculorum largissimam ridendi copiam praebebat. Exstat narratiuncula quaedam de Thalete, cuius quasi docti alazonis mentionem faciunt Aristophanes (locis iam allatis), Plautus (Capt. II 2. 24. Bacch 121), Plato (loco modo laudato), quam historiam verbis Laertii Diogenis sic exprimimus (I. 34.)
λέγεται δ' ἀγόμενος ὑπὸ γραὸς ἐκ τῆς οἰκίας ἵνα τὰ ἄστρα κατανοήσῃ, εἰς βόθρον ἐμπεσεῖν καὶ αὐτῷ ἀνοιμώξαντι φάναι τὴν γραῦν· σὺ γάρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν, τὰ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι;

Huic autem fabellae facere non possumus quin adiungamus alteram quandam de Socrate Aristophaneo in Nubibus narratam, nam merito hic Aristophani ultima verba debentur:

Μαθητής: ζητοῦντος αὐτοῦ τῆς σελήνης τὰς ὁδοὺς
καὶ τὰς περιφοράς, εἶτ' ἄνω κεχηνότος
ἀπὸ τῆς ὀροφῆς νύκτωρ γαλεώτης κατέχεσεν.

In talibus adversis et acerbis rebus diiudicandis plebecula omnium temporum cum Strepsiade fecit, cui et nos nosmet adiungemus:
ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους.

II. Alazon miles.

Subtilitas ingenii Aristotetelei quam recte in alazone unam quasi radicem risus cognoverit, experti sumus. Attamen, cum docti tantum alazonis scholis adfuerimus, rei ipsius necessitate deducimur ad eum alazonem, qui robore corboris, fortitudine animi, praeclarisimis factis, subtilitate denique strategematum gloriatur, qui quidem est miles gloriosus. Valere igitur illum iubemus in umbraculis astronomum atque ad Martem armorumque strepitum nosmet convertimus. Imaginem militis gloriosi sibi quisque facile parabit Plautum, Terentium, Lucianum denique in usum vocans.[1])

Restat igitur, ut quaestionem et hic proponamus, quae huius in universum notae imaginis lineae in fabulis Aristophaneis seu accuratius seu levius depictae inveniantur. Talia autem invenimus in persona Lamachi Acharnensium, quo verum illum Lamachum vix plus conatus est poëta describere, quam Socratem Nubium fabula. Hic aditur, si quis consiliorum expers rebus adversis premitur, ille, si brachii opus est robore. (cf. Ach. 566) quorum tamen alteri cum altero de palma tumidae orationis certare licet. Neque multo superare putandus est Pyrgopolinices ille Plautinus hac vana gloria Lamachum,

---

[1]) cf. et Ribbeck, Alazon.

qui a servo, qui et hic evadit praeco gloriae domini, Homerus seu Ulixis seu Achillis, dicitur plagis inimicorum iam semimortuus nihilominus resurrexisse latronesque quosdam pilo suo fugasse. Itaque poëta et ambobus, et alazoni docto et militi glorioso, bomolochos addidit, qui omnia sublimia atque splendida verba in ridiculam partem detorqueant. Alazonis militis cura primaria in crista atque in clypeo versatur. Iam initio Militis gloriosi Plautinae fabulae haec verba legimus:.

Curate ut splendor meo sit clupeo clarior
Quam solis radii esse olim, quom sudumst, solent

Sic et Lamachus Aristophaneus (1124)

φέρε δεῦρο γοργόνωτον ἀσπίδος κύκλον.
. . . .
κατάχει συ παῖ τοὔλαιον.

Est autem et ipse βλέπων ἀστραπάς (Ach. 566) quasi certans cum clypeo. Attamen praeter omnia crista quasi Palladium militis gloriosi commemoratur.

567. βοήθησον, ὦ γοργολόφα.
1075. ταχέως λαβόντα τοὺς λόχους καὶ τοὺς λόφους.

Hoc et ex lopho sibi poscit penam Dicaeopolis 584

φέρε νῦν ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερὸν
ἵν' ἐξεμέσω. βδελύττομαι γὰρ τοὺς λόφους.

Haec penna est, si Dicaeopolidi credimus, κομπολακύθου ὄρνιθος (589).

Omnino homunculi potius nitidi atque belli quam militis propriam curam atque elegantiam demonstrant alazones et Plautinus et Aristophaneus, cui praeter alios et versus hic attribuitur a poëta

τίς Γοργόν' ἐξήγειρεν ἐκ τοῦ σάγματος;

Virtus talium virorum non habet, cum quo conferatur in hac aetate, οἷοι νῦν βροτοί εἰσίν. Confugiendum est ad heroes: Ach. 575 579 ἥρως. Pyrgopolinices cum Achille comparatur 57.

Viget et in milite glorioso illud προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι ἄτιμος. Quae bene atque gloriose fecerunt, peregre facta sunt, in Asia, Thracia, Cypro, Rhodo. cf. primam scenam mil. glor. Plautinae fabulae et Acharnensium versus 602, 604, 613.

Ecbatana atque Chaones praecipui testes rerum a „Diomeialazonibus" Aristophaneis gestarum afferuntur, quae quidem strenuis illis atque probis Acharnensibus rusticis non adeunda sunt loca.

Haud igitur forte nominatur ab Euripide Ranarum in agone Aeschylus ἀλαζών (919), qui ῥήματα βόεια εἶπεν ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα μορμορωπά, ἄγνωτα τοῖς θεωμένοις.

Bene hic in propositum nostrum quadrat illud, quod tales milites gloriosi pennis et lophis ornati, quomodo in usum scenicum sint depicti, adhuc oculis perspiciendi patent.

Heydemann enim in thesauro ille, quem imaginum scenicarum phlyacas depingentium congessit (Arch. Jahrb. I) praeter alias et duas affert milites gloriosos praebentes, alteram littera G notatam, alteram, qua Martem ipsum invenis depictum pennam illam Acharnensium accurate prae se ferentem, littera a significatam.

Hunc usum militis gloriosi ut et mimo recentioris aetatis attribuamus, monet testimonium quoddam Choricii in illa apologia iam supra allata servatum: (XIII. 7) ἔνι καὶ στρατιώτας ἰδεῖν καὶ ῥητόρων ἀκοῦσαι.

Hoc certe apparet personam Lamachi esse consuetam militis gloriosi, in fabulam inductam eo consilio, ut et hic rivalis quasi Euripidis alazonis docti Dicaeopolidi praebeat copiam irridendi. Sicuti autem consueta exspectatio plebis maleficum puniri vult, ita et aegre ferret, nisi in exitu fabulae alazones misere prostrati evaderent, cui opinioni populari et Aristophanes respondet, si quidem

Lamachum non modo de plagis vulneribusque acceptis querentem inducit, sed et misere ludificari facit Veneris et Bacchi donis, quibus Dicaeopolis gaudet. Simili calamitate opprimitur et Pyrgopolinices in exeunte fabula Plautina expertus illud Asmi nostri omnia secum ferentis:

Trau' nicht auf deinen Tressenhut,
Nicht auf die Troddel dran;
Ein grosses Maul es auch nicht tut,
Das lern' vom grossen Mann.

Persona autem militis gloriosi eadem praeditus constantia, qua et doctus ille collega, inter consuetas personas mimi Italorum exstat nomine Capitono notata.

III. Parasitus.

Inter omnes fabulas Aristophaneas praecipuum quendam locum tenent Equites. Omni enim si ad eam fabulam accedes opinione praeiudicata solutus, invenies esse eam plane diversam ab eo genere fabularum, quod Aristophaneum nominare consuevimus. Videtur non in re publica, sed in privata quadam re plane in modum Epicharmeae aut neoatticae comoediae argumentum versari.

Duo servi queruntur, quod Paphlago quidam nuper emptus ὑποπεσὼν τὸν δεσπότην ᾔκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα itaque sibi paravit maxima ab illo sene, qui δύσκολον γερόντιον in modum senis Plautini Terentianique esse (42) putandus est, commoda.

Jam Ribbeckium[1]) non fugit personam parasiti seu colacis aliquo modo cerni in Cleone Equitum. Potest au-

[1]) cf. Ribbeck, Kolax.

tem omnino contendi hanc fabulam superstructam quasi esse fundamento doricae cuiusdam comoediae, cuius partes per senem, parasitum, servos consueto more aguntur. Accedit huc iambica idea, ὁ σκοπὸς πρὸς τὸ καθελεῖν Κλέωνα, quo modo et vides inseri malo silvaticae arte quadam surculum alienum. Et est sane operae pretium colligere quaedam, quibus, quomodo iam in persona Cleonis ille nobis satis e comoediis posterorum notus parasitus insit, appareat, qualem et eum poëta verbis supra allatis in argumento ipso fabulae pronuntiando brevibus atque apertis verbis describit.

Parasitos cum canibus conferri blande et clementer caudam moventibus, a latere domini omnino non recedentibus, cibi avidissimis plane consuetum est neque et ab iis scriptoribus alienum, qui ad comoediam aliquo modo sunt revocandi.[2]) Ethologia graeca, cuius radices quomodo sint positae in mimo et comoedia ex Theophrasti libello aureo περὶ χαρακτήρων patet, [3]) factum est, ut vox canis synonymon quasi voci parasiti sit apud Graecos, qui usus et in latinam linguam irrepsit.

Aptissime igitur et sonat oraculum Equ. 1030:
φράζευ, Ἐρεχθείδη, κύνα Κέρβερον ἀνδραποδιστήν,
ὃς κέρκῳ σαίνων σ᾽ ὁπόταν δειπνῇς ἐπιτηρῶν
ἐξέδεταί σου τοὖψον, ὅταν σύ ποι ἄλλοσε χάσκῃς.
ἐσφοιτῶν τ᾽ ἐς τοὐπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
νύκτωρ τὰς λοπάδας καὶ τὰς νήσους διαλείχων.

cf. et aliud oraculum (Equ. 1015) quaeque huic additur interpratio, ubi de Cleone utpote cane in bonam partem verba fiunt.

Vox ligurriendi eodem modo de parasito dicitur Capt. 84.

---

[2]) cf. Capt. 85 sqq. Arist. Physiogn. 811 B. 36. Apul. Phys. p. 148.

[3]) Hoc nuper a Reichio (Mimus I. 1. 305 sqq.) dilucidissime expositum est.

Consueta praeterea parasiti significatio est ἐραστής (cf. Timocl. frg. 8 K.) ἐπιεικῶς γὰρ — sic Lucianus paras. 48. — οἱ παράσιτοι καὶ ἐρασταὶ τῶν τρεφόντων εἰσίν. Sic et in Equitibus, cum agon duorum parasitorum Demi instituitur, alterius iam in arte inveterati, alterius victoris futuri, Cleo sic de se loquitur

732: τύπτομαι . . . .

ὁτιὴ φιλῶ σ' ὦ Δῆμ', ἐραστής τ' εἰμὶ σός.

itemque allantopola, interrogatus, quis sit, confitetur

ἀντεραστὴς τουτουί,

ἐρῶν πάλαι σου, βουλόμενός τέ σ' εὖ ποιεῖν.

. . . . σὺ γὰρ

ὅμοιος εἶ τοῖς παισὶ τοῖς ἐρωμένοις.

Demos denique de se ipse 1163:

ἀλλ' ἦ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον

ὑπὸ τῶν ἐραστῶν νὴ Δί' ἢ 'γὼ θρύψομαι.

Alciphro nobis (III. 43.) describit simile quoddam certamen duorum parasitorum primum cantilenis mutuis deinde plagis expugnatum. Videtur igitur hoc et alibi a scena non alienum fuisse.

Theophrastum scenam in usum vocasse in componendo suo de characteribus libello iam supra significatum est. In aureo hoc thesauro inest et caput quoddam de parasito.[1]) Afferimus ex illis, quae quasi e persona parasiti manantia ibi proferuntur, haec: καὶ ἐρωτῆσαι μὴ ῥιγοῖ καὶ εἰ ἐπιβάλλεσθαι βούλεται, καὶ ἔτι ταῦτα λέγων περιστεῖλαι αὐτόν . . . . καὶ τοῦ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προςκεφάλαια αὐτὸς ὑποστρῶσαι.

[1]) Praeter hoc digna sunt, quae ad cognoscendam hanc personam legantur, Athenaei (lib. VI. p. 234-253.) commentatio copiosissima multisque testimoniis e comoediis haustis referta itemque dialogus scitus quidam Luciani, mero stilo Platonico conscriptus: παράσιτος ἤτοι ὅτι τέχνη ἡ παρασιτική, Ribbeckii denique Kolax.

Nonne haec ex Equitibus excerpta fere esse videntur? Nam plane eisdem techinis isiciarius Paphlagonem in arte parasitica superaturus (881 sqq.) donat Demo tunicam χειμῶνος ὄντος. Eandem rationem et Cleo init

ἀλλ' οὐχ ὑπερβαλεῖ με θωπείαις.
ἐγὼ γὰρ αὐτὸν προςαμφιῶ τοδί.

Et praeterea dignae sunt, quae conferantur rationes adulandi in Equitibus a duobus illis initae (870-910) et eae, quas Theophrastus adulatoribus consuetas esse exponit. (cf. et Equ. 60.)

Itaque, Cleo,

οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ εἶ παράσιτος, φίλτατε.

Jam cognosces, quam facile possit analysis quaedam, ut loquar more nostratum, dorica enucleari ex Equitibus, quam aceto quasi iambicae ideae perfusit poëta. Quaestio igitur nobis rei ipsius necessitate offertur, num omnino vestigia huius personae, quae iam Aristophanis aetate in scena Attica viguisse neque Alexidis demum aut sagacitate inventa aut diligentia ex Sicilia introducta esse putanda est, et alibi occurrant in fabulis palaeoatticis.

Nemo certe est, quin in lustratis fragmentis comicorum Atticorum admodum miretur, quantum discrimen intercedat inter Cratetem Pherecratemque et inter omnes alios, quantopere illi — opinionem certe consuetam sequens si de comoedia Attica iudicas — quasi de caelo in terram Atticam deiecti indolem quandam fabularum proferant, quae a natura novae comoediae Atticae vix discerni potest, cui tamen nil fere est commune cum eo genere comoediarum, quod ex irridendo spiritum ac vitam capiens antiqua comoedia Attica expressum esse putatur. Petit enim hoc genus comoediarum Crateteum, embolimon quasi quoddam inter ceteras comoedias antiquas, illud quod Aristoteles vocibus καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους circumscribit, abiecta omni iambica idea.

Theodorus Hasper in programmate quodam Lipsiensi[5]) quaestionem proposuit, num Musa Cratetis Pherecratisque ad Epicharmum revocanda sit, ita tamen, ut priorem tantum absolveret partem, qua testimonia veterum de his poëtis sibi proposuit interpretanda, alteram, qua fragmenta ipsa erant in usum vocanda atque illustranda, promitteret, quae tamen nunquam in lucem prodiit. Itaque nos vestigia Hasperiana certo quodam consilio pressuri facere non possumus, quin ea, quae de hac re ille disseruit, breviter afferamus. Contulit autem Hasper testimonia haec:

I) Arist. poet 1449 b 5
τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις (scil. ἀπέδοσαν). τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε, τῶν δὲ Ἀθήνησιν Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους.

II). Athenaeus X pag. 429 A οἱ λέγοντες, πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα, μεθ' ὃν Κράτητα ἐν Γείτοσιν . . . . . .

III). Anonymus περὶ κωμῳδίας (cf. Kaibel, Comic. Graec. Frgt. I p. 7 sq.) p. 7, 4. Epicharmus: οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο, πολλὰ προςφιλοτεχνήσας . . . . τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος.

p. 7, 7. Crates: πρῶτος μεθύοντας ἐν κωμῳδίᾳ παρήγαγε.

p. 8,8. Pherecrates: ἐζήλωκε Κράτητα καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.

Haec Hasper collegit, e quibus apparuit doctrinam Peripateticorum, gravissimorum sane testium, putasse coniungi magna similitudine hos Atticos cum comoedia Si-

[5]) „De Cratete et Pherecrate novae comoediae praecursoribus." 1877.

culorum. Atque — ut hoc primum adeamus — non satis apertum est illud testimonium de ebrio in scenam ab Epicharmo aut Cratete inducto. Significari autem videtur Epicharmum itemque Cratetem non singulis fortuitis locis ebrios in scenam inducere, sed certo quodam consilio stabili quadam persona ebrii uti[6]).

Inter omnes autem typos Epicharmi palmam quasi parasitus tenet (de quo cf. Athenaeum VI. pag. 235. E., qui et servavit illud facile notissimum omnium Epicharmeorum fragmentum ex comoedia Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος haustum). Apparet, quanto firmiore utamur vinculo similitudinis, siquidem contingat, ut hanc personam et in comoediis Cratetis et Pherecratis deprehendamus. Quae quidem profecto inveniuntur vestigia, quorum Hasperum, si quidem alteram partem priori addidisset, mentionem facturum fuisse putaverim.

Affero primum frgt. 33 K Cratetis:

ποιμαίνει δ' ἐπίσιτον
ῥιγῶν δ' ἐν Μεγαβύζου
δέξετ . . . ἐπὶ μίσθῳ
σῖτος. [7])

[6]) cf. de hac quaestione: Hasper. l. l. Lorenz, Epicharm. p. 188. Ribbeck, Kolax p. 20. not. II.

[7]) Textus Athenaei eo loco, quo hoc fragmentum servatur, perturbatus est. Affert scriptor (246 F — 247 E) multos locos, quibus de parasitis agitur. Tum sic pergitur τῷ δὲ παρασίτῳ ὅμοιά ἐστιν ὀνόματα ἐπισίτιος, περὶ οὗ προείρηται . . . Sic enim scribendum est, cum Athenaeus p. 246 F. huius mentionem faciat. Versus autem illi Cratetei inepte in testimonia Menandrea inserta falso loco leguntur, neque hic cum Kaibelio facio, qui adnotatione editionis suspicatur esse hunc locum retrahendum ad p. 246 F. Nam plane aliam ibi init rationem scriptor in afferendis testimoniis, ita ut nullo modo in

Quamvis hi versus satis sint corrupti, tamen apparet verba fieri de viro quodam, qui sibi parasitum alit et pascit. Ille autem dominus miles esse videtur, si quidem more alazonum in exercitu peregrini ducis, Megabyzi (= Grossmogul) riget et horret. Nonne vere Pyrgopolinices secum trahit vere Artotrogum, Thraso Gnathonem?

Quam firmis autem iam steterit talis parasitus in scaena Attica temporibus Cratetis et Pherecratis cognoscitur ex hoc fragmento sumpto ex „Vetulis" Pherecratis (32 K).

A)σὺ δ' οὐδὲ θᾶσσον, Σμικυθίων, ἐπισιτιεῖ;

B) τίς δ' οὗτος ὑμῖν ἐστι; A) τοῦτον πανταχοῦ

contextum illum possit inseri constructio nostrorum verborum: ἐπισιτίου δὲ Κράτης Τόλμαις. Porson iam (Adv. pag. 71-76). vidit his verbis primum locum concedendum esse, tum demum de oicosito, situcuro, autosito, aliis pergi. Idem Porson et ἐπισίτου in illa praemonitione, ἐπίσιτον in versibus ipsis restituit, causa non addita,. attamen recte, cum et metrum meros pherecrateos desiderare videatur et scriptor ipse supra praemoneat se non iam de episitiis locuturum esse, hic igitur novum quoddam afferre putandus sit. Hoc autem et antea illo indice exprimatur necesse est. Scriptum erat et ἐπισίτιος et ἐπίσιτος.

Librarius opinione deceptus bis idem dici sustulit illud ἐπίσιτος, quod secundo loco legebatur. Iam cum non iam contextus verborum perspicuus pateret, non erat quomodo perturbatio non irreperet. Totus locus sic est scribendus: 247 E. τῷ δὲ παρασίτῳ ὅμοιά ἐστιν ὀνόματα ἐπισίτιος, περὶ οὗ προείρηται, ἐπίσιτός τε καὶ οἰκόσιτος, σιτοκουρός τε καὶ αὐτόσιτος, ἔτι δὲ κακόσιτος καὶ ὀλιγόσιτος. Iam sequuntur ordine indicis huius accurate servato singula testimonia. Ἰῶτα ἓν μὴ οὐ παρέλθῃ.

ἄγω λαρυγγικόν τιν' ἐπὶ μισθῷ ξένον.

His autem versibus plane perspicue parasitus describitur, neque melius hoc fieri potuit quam versu

τοῦτον πανταχοῦ ἄγω λαρυγγικόν τιν' ἐπὶ μισθῷ ξένον.

Quae cum ita sint, persona parasiti in scaena Attica vetusta est. Prima autem a nobis cernuntur vestigia huius λαρυγγικοῦ ξένου in comoediis Epicharmeis, inprimis in pulcherrimo illo fragmento ex Elpide hausto, cuius iam supra mentionem fecimus. Memoriam huius rei servavit et usus posterorum, qui speciem quandam parasitorum nomine Σικελικοῦ notabat (Pollux IV 148). Quadrant in personam parasiti et alia fragmenta Pherecratis, quae iam Ribbeck l. l. notavit, cum tamen non eis ad artis comicae historiam cognoscendam uteretur.

Fortasse autem omnino non erat confugiendum Atticis, id quod voluit Hasper, ad Siculos in componendis mythis et logis, si quidem tota Graecia erat imbuta talibus mimis, quales neminem laedunt, nil petunt nisi ethopoiiam certarum personarum, nil denique docent nisi illud, si non verbis, attamen re vetustissimum

πῖνε, παῖζε· θνητὸς ὁ βίος, ὀλίγος οὑπὶ γῇ χρόνος.
ἀθάνατος ὁ θάνατός ἐστιν, ἂν ἅπαξ τις ἀποθάνῃ.

IV. Symbola ad originem Pulcinellae graeci cognoscendam.

De Pulcinellae origine commentatiunculam instituri quam in lubrica versemur materia haud ignoramus. Ne igitur infirmis talis modo huc modo illuc labi videamur,

necesse est hanc personam coërceamus quamvis invitam Hispanicis illis definitionis calceis. Est autem Pulcinella quasi incarnatio risus comici ipsius, persona denique praecipue ridicula, quod cave ne ita nos putes intellegere, quasi haec persona gradu tantum, ut dici solet, non sua ipsius natura a ceteris distet. Immo potius partes illius toto genere ab omnibus aliis diversae sic fere circumscribantur:

Pulcinella, ab argumento ipso in modum chori quasi seiunctus aut otiosa adstat tertia persona mere ridicula aut verbis tantum alterum quendam plerumque alazonem similisve generis hominem varia seu agentem seu loquentem interrumpit itaque ex illius luce fumum trahit, neque tamen et hic minus otiosa, rem bene si perspicis. Est autem illius bomolochia „a parte“, ut videtur, plerumque prolata quamvis varium in modum distorta atque diffusa hoc semper vinculo coniuncta, ut ab argumenti ipsius proposito alienissima merum risum moveat. Sannionum autem facetiae ineptiaeve variis e fontibus manant. Aut verba in sensum proprium accipiunt, quo non debebant intellegi, sicuti et noster Eulenspiegel[1]), aut, quasi ut et ipsi theseos cuiusdam propositae aliquod argumentum afferant, narratiunculas inserunt, ineptas saepius et obscoenas aut in verborum significatione mutata ludunt aut orationem denique in partem obscoenam flectunt. His exemplis non naturam bomolochiae Pulcinellae nos absolvisse confidimus. In omnibus autem facillime cognoscis inesse illam ἀπροςδοκίαν, qua haec quasi scholia comica marginalia ad textum ipsum argumenti adi-

---

[1]) cf. Cic. de orat. II 64. 259. Est etiam in verbo positum non insulsum genus ex eo, cum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare. Ex quo uno genere totus est Tutor, m i m u s vetus, oppido ridiculus.

ciuntur.[2]) Num autem tales adnotationes faciat ille stupidus aut εἴρων, haec quaestio sua ipsius natura non solvi potest.

„C'est le secret du polichinelle.“ Sic et haud inepte illa, quae Pulcinellae exstitit apologia[3]), haec eum fingit pro domo quasi proferentem: Mein Hauptgeheimnis ist doch der Anstand der Dummheit, dieses Goffo meiner italienischen Stammeltern, ... dieses . . . . schattiert alle meine Gemälde und rettet dabei meinen Rücken. Mihi quidem iam semper, ex quo in Aristophaneas fabulas incidi, cachinnus Pulcinellae talis, qualem supra significavimus, in omnibus comoediis huius poëtae latere visus est. Cum autem accuratius huic quaestioni indulgerem, in dies magis cognovi fabulis Aristophaneis praeberi fontem facile pretiosissimum ad cognoscenda ea elementa, quibus radices eius, de qua loquimur, personae continentur. Immo licet et nobis testibus esse diuturni fluxus seminum sero demum coalescentium. Sed antea pauca verba fiant de eis, qui alius alio modo hanc iam adierunt quaestionem. Atque primum quidem nominetur optima illa dissertatio Poppelreuteriana „de comoediae atticae primordiis particulae duae“.[4]) Nam Poppelreuter primum rationem componendi talem, qualem in complurium fabularum iniri exitu vidit, contulit cum ludis iocularibus nostratum, Harlekiniaden vel simili modo nomi-

---

[2]) Afferimus iterum Ciceronis de oratore librum II. 63. 255: sed scitis esse notissimum ridiculi genus, cum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet.

[3]) Moeseri dico: Harlekin oder Verteidigung des Grotesk = Komischen (op. I. p. 98.)

[4]) Berolini 1893.

natis. Hoc ἕρμαιον feliciter illi viro oblatum et nos in nostrum usum versuros esse apparet.

Deinde A. Dieterich[5]) servi ridiculi vestigia secutus est in libro copiosissimo atque lepidissimo. Attamen in Aristophane haud ita multus est, qui Xanthian tantum Ranarum et Carionem Pluti leviter tangat. Zielinski denique iam antea in eo libro, quem inscripsit „Gliederung der altattischen Komödie" in bomolochum quendam inciderat, cum de agone egerat, (p. 116.) cui tamen pauca tantum attribuit verba. Ultra agonem progrediendi ei non causa fuit illo loco neque tamen, ut nostra dissertatiuncula probatum iri confidimus, bomolochi persona ullo necessario vinculo cum agone ipso coniuncta est, cum et exstent vigeantque vel praeter agonem uberrimae partes Pulcinellae, ita ut non mireris eum sicut omnia, ita et agonem suis ineptiis quasi acore fermentare.

Horum trium virorum, ut debuit fieri, mentione honoris causa facta iam ad analyseis — ut more nostratum loquamur — singularum fabularum accedemus, quae ratio iam eo commendatur, ut — quod adhuc plane neglectum esse video — sic demum perspiciatur, quibus omnino rebus contineatur illa bomolochia Pulcinellae praecipue propria.

Si quidem hic et alibi significationem Pulcinellae omnibus remotis ambagibus in usum vocamus, non ea est sententia, quasi iam constans quaedam atque firma persona hoc munere in fabulis Aristophaneis fungatur, sed potius hoc erat in consilio, ut de partibus singularibus ipsis Pulcinellae Aristophani consuetis omnino non esse dubitandum demonstraremus, cum tamen haud ignoraremus per satis diutinum tempus labi quasi incerto fluxu personas comoediae, quibus illae

---

[5]) Pulcinella, Lipsiae 1897.

partes iam in fabulis Aristophaneis omnibus numeris absolutae attribuerentur.

In Acharnensibus ineuntibus Dicaeopolis prologo quodam (1-42) exponit, quis ipse sit, qua in condicione vivat, quo loco res agatur, atque, si recte rem perspicis, paulo post fabula ipsa iam — finita est. Sequuntur enim scaenae plurimae solutae, quibus frustra quaeras ullum vinculum, nisi illum ipsum Dicaeopolidem ad omnia, quae proferuntur, suas adnotationes ridiculas adiungentem. Ac primum quidem in ecclesia se praestat artis moleste interpellandi optime peritum, si quidem alazoniam legatorum peregrinorum vel pinguiori cuidam ingenio apertam reddit: cf. vers. 64. 67. 71. 75. 86. 90. 92/93. alios. Saepius et orationem institutam in partem obscoenam deflectit. cf. 79. 83. 158. 161. In his comitiis ipsis agendis Dicaeopolidi omnino non est ullus locus concessus, neque et est, qui bomolochias illius respiciat, ita ut non dubitem, quin haec omnia sint „a parte" dicta. Accedit Amphitheos, a Dicaeopolide antea tribus unicis versibus, (130-32) quibus omnino efficitur, ut argumentum aliquod procedere possit, id est, ut et postea bomolocho non desit materia, quae irrideatur, mercede conductus atque foederis instituendi causa dimissus. In colloquio cum eo habito consueta sua ratione utitur Dicaeopolis. cf. 189/90, 192/93. Sequitur quasi embolimon quoddam carmen φαλλικόν Dicaeopolidis. Deinde ad incitas redactus ab Acharnensibus a versu 366 usque ad versum 384 plane poëtae personam accipit, ita ut hic pro domo quasi suam orationem habeat Dicaeopolidis usus partibus, de qua mira particula infra aptius offeretur occasio disserendi. Quid autem est, quod dicamus de illa cum Euripide scena? Minime certe ille ἀγροῖκος, qui antithesibus mere Euripideis respondet (cf. e. gr. 440 sqq.), qui et primus in scitam illam

rationem evolvendi poëtae tantopere studiis consumpti inciderat: ἀλλ' ἐκκυκλήθητ'. Medias esse eius partes vides inter stupidi, qui fretus ab alazone sibi parat arma disputationis, et εἴρωνος, qui libera petulantia Euripideam non modo artem sed et rem domesticam irridet, donec poëta, quem irrisionis perpetuae taedet, haec imperat: ἀνὴρ ὑβρίζει. κλεῖε πηκτὰ δώματα.

Auxiliorum ab Euripide paratorum non iam omnino postea mentio. Tota haec scena est una ex multis eis, quibus plane solutis levissimoque filo cum argumento fabulae cohaerentibus Archarnensium mira comoedia referta est. Sequuntur versus 496-556, quibus iterum in parabaseos modum poëta, non Dicaeopolis loquitur. Vocabimus et hunc locum infra — id quod iam promisimus — in usum.

Chorus auxilium petit a Lamacho. Cur multi contra unum pugnaturi? Erat iterum alazon in scenam vocandus, quem bomolochus irrideret. Pennam galeae illius putat esse κομπολακύθου ὄρνιθος, petit et sibi utpote vomitoriam. Orationem in partem obscoenam deflectit 592.[6]) Partes eius et per totam hanc scaenam constantes sunt neque tamen ullo modo, quid haec scaena ad argumentum fabulae spectaret, cognosceremus, nisi iam nobis constaret Acharnenses omnino stricto argumento carere. Neque autem silentio praeteribimus versus 623-25, quibus Dicaeopolis Lamachi orationem parodia quadam excipit,

[6]) Hunc versum debuit Koerte in usum vocare eo loco, quo omnia collegit exempla, quibus phallus ab histrionibus Aristophaneis gestus esse probatur. (Arch. Jahrb. VIII. (1893) pag. 66sqq.). Nam quomodo aliter vis intellegi hunc versum nisi eo, quo significavimus modo: τί μ' οὐκ ἀπεψώλησας? εὔοπλος γὰρ εἶ; ὅπλον enim hic τὸ αἰδοῖον.

nam hoc ipsum studium parodiae adiungendae plurimum videbimus saepissime valere in partibus Pulcinellae. Statim post parabasin incipiunt aliae scenae solutae, quibus se iterum praestat Dicaeopolis bomolochum eundemque et εἴρωνα. Ac primum quidem Megarensis quidam scenam adit, variis non modo ineptiis sed et spurcitiis incredibilis obscoenitatis obruendus. Deinde sycophanta quidam ludibrio habetur, eodem et modo institor Boeotus, Nicochares sycophanta, Lamachi satelles, agricola, paranymphos, cum quo iterum colloquium quoddam meris e spurcitiis fere compositum instituitur, sequuntur denique duae scenae cum Lamacho agendae, quae illud studium parodiarum, quod iam notavimus, largissimum praebent. Nam in prima quidem videmus Lamachum ad bellum sese accingentem, Pulcinellam coenam parantem, ita, ut semper Dicaeopolis versibus alazonis suos inserat accuratissime ad illorum contextum fabricatos evadatque scita quaedam stichomythia, quae hoc „parallelismo membrorum" nititur. Eadem res iterum occurrit in exitu Acharnensium. Lamachus misere prostratus atque saucius suis vulneribus medelam parat, cum tamen semper Dicaeopolis concinnis versibus insertis significet, quomodo edendo bibendoque — ut alia velo tegamus — genio morem gerat.

Hic Dicaeopolis nil aliud curat per totam fabulam nisi ut personarum forte quadam accedentium orationem ludibriis in ridiculum vertat, ipsas saepe plagis obrutas dimittat evadatque, quo aptior non esset, qui inveniretur, Pulcinella.

Plane eodem modo de Strepsiade Nubium est iudicandum, nisi quod haec fabula gaudet astrictiore quodam argumento. Nihilominus Strepsiades obtinet in oeconomia fabulae, ut ita dicamus, locum quendam a ceteris secretum, qui eodem modo quo Dicaeopolis se praestat

βωμολόχον idemque et εἴρωνα. Quaestione iam illa oppressis nobis, quomodo is, qui summis angustiis vexatus Socratem philosophum adiit, statim ex supplice evadat εἴρων, qui minime gravitatem atque alazoniam virorum doctorum curat, sed qui potius vorsutissimus mores hominum multorum bene novit neque in ullo scenico quasi apparatu quamvis magnificentissimo stupet, quo est confugiendum nisi ad illud secretum proprium Pulcinellae?

Haec igitur persona primum prologo copiosissimo (1-80) profitetur, quis sit ipse, cuius generis, cuius et rei familiaris, quos proferat mores, quem a qua uxore acceperit filium.

Brevi cum filio peracto colloquio Socratis phrontisterion adit neque hic est quiquam, quid faciat, nisi illud, ut huius hominis alazoniam suis bomolochiis ad incitas redigat idque vario modo. Aut enim sublimibus rebus a scholastico doctis adiunguntur vilia, obscoena. Theoriam Socraticam de fulminibus quam recta sit iam expertus est ille in farciminibus assandis, (408) illam de tonitruis fragoribusque caeli iam in ventris sui natura, qui ipsi, cum nimis genio indulsisset, (388)

δεινὰ κέκραγεν
ἀτρέμας πρῶτον παππὰξ, παππὰξ,
κἄπειτ' ἐπάγει παπαπαππάξ.

Discipulos Socratis profunda meditatione pronos atque demissos facere non potest quin putet βολβοὺς indagare (188). Jovem putaverat doctrina nondum de imbribus accepta Socratica διὰ κοσκίνου οὐρεῖν (373). Cum ab eo quaeratur, num aliquid habeat excogitatum (ἔχεις τι) respondet μὰ Δί' οὐ δῆτ' ἔγωγε . . .
οὐδέν γε πλὴν ἢ τὸ πέος ἐν τῇ δεξιᾷ.

Aut in modum Eulenspiegelianum verba in sensum proprium accipit.

cf. μέτρον (639). τετράμετρον (643=ἡμιεκτέον)
νόμισμα (249)
ῥυθμὸς κατὰ δάκτυλον

κάρδοπον et Cleonymum non uno spiritu oris putat esse pronuntiandos, hunc enim omnino non tali re gaudere. Spartam illam in pinace significatam longius ab Atheniensibus removeri vult, ne quid nocere possit. cf. et 481 μηχανὰς προσφέρειν et 490 ὑφαρπάζειν.

Aut, si alazo, invitus sane ille, iam aliquid suae orationi inseruit ridiculi, hoc ipsum excerpit cupidissimus atque in lucem profert. Illi disputationi de flatibus culicum suam adiungit clausulam his verbis:

σάλπιγξ ὁ πρωκτός ἐστιν ἄρα τῶν ἐμπίδων
cf. et 175.

Aut adnotationes adiungit non ad rem pertinentes itaque ridiculas. Sic Athenae quomodo in tabula iudicibus non adiectis sint depictae non intellegit (208).

A Socrate iussus rationes sese expediendi aere alieno proferre, narrat historiunculas crinibus ipsis arreptas mere ridiculas 749sqq. 766sqq. 780. Coronam accepturus veretur ne sacrificetur.

Omnia haec genera facetiarum possent pluribus exemplis vel amplius probari. Non nunquam et talibus personis ridiculis accidit aliquid humanitus, nimis humanitus. Ut ille Dicaeopolis vomendi cupiditatem prae terrore aut habuerat aut habere se simulaverat, sic et Strepsiades Nubium subita visione perturbatus cacaturit: (295)

κεἰ θέμις ἐστὶν νυνί γ' ἤδη
κεἰ μὴ θέμις ἐστί, χεσείω.

Dignum et illud est, quod moneatur, bomolochiarum Strepsiadis, ut et Dicaeopolidis, plerumque omnino non rationem haberi consueto quodam in partibus Pulcinellae more.

Putares illum filio certe persuasurum alazoniae evadere

Socraticae sectatorem severum, sed vel in hoc colloquio plurimis illos φένακας adspergit salibus.
cf. 832. 835sqq. 860sqq.

Sequuntur scaenae consuetae solutae cum Amynia et Pasia, in quos ludibriis et plagis invehitur Strepsiades plane consuetas suas partes agens. cf. et 1496. 1503. Evasisse puto imaginem eandem fere bomolochi cuiusdam ex Acharnensibus et Nubibus, cuius partes continentur eo, ut praeter rem ipsam parerga ridicula in alazones, cum quibus illi res est, proferat. Neve et illius rei simus immemores hos Pulcinellas prologum fabulae proferre. Nunc et optimo iure in eo vides servata — id quod iam Poppelreuter fecit — vestigia ludi popularis, attamen non modo post parabasin, sed per totam fabulam vigentia eo, ut Pulcinella quidam quasi chori cuiusdam comici constantis partes agat. Accedit, id quod gravissimum esse putamus, prologus consuetus mimo omnium temporum, cuius rei diiudicandae postea dabitur occasio.

Mirum autem in modum nuper commotus sum constantia rationis artis omnium temporum, cum mihi liceret mimum quendam adspicere actum in scena quadam νευροσπάστων populari, gemellum fere illius, quem ex Acharnensibus modo eruimus, petentem sane illum materiam ex novissima huius aetatis historia, attamen, id quod eo plus erat memorabile, in vetustissimis rationibus versans, quem quantum memoria valet, enarrabo.[7])

Kasperle aulaeo, si licet hoc nomine significare pannum quendam filis invitis motum, scenam adit atque rem agendam spectatoribus exposuit. Esse enim dixit se exploratorem atque in castra Britannicorum irrepsisse, quorum arcana se Buris, cum quo faciat, proditurum esse.

[7]) Et Poppelreuter (l. l. pag. 27) mimi cuiusdam a se adspecti analysin quandam affert similem.

Ecce subito accedit dux quidam Britannicus, mere miles gloriosus, cui et non defuit pileus cristatus neque fulgentia arma, atque incipit copiosa quadam narratiuncula miranda atque ingentia facta decantare, quae modo hic modo illic se gessisse gloriabatur. Atque hic quidem mire illud accidit, quod ei exstabat Kasperle bomolochus sicuti Lamacho collega quondam ante viginti tria fere saecula. Neque tamen illarum partium ullo modo ratio habebatur, quas potius plane „a parte" ad spectatores conversus ille agebat. Adiecit enim enuntiatis alazonis nondum absolutis clausulas ridiculas, quibus tumida illius oratio plane prosterneretur. Sic saepius ad edendum et bibendum allusit, saepius et suae interlocutionis verba extrema cum extremis illius Pyrgopolinicis reddidit consonantia, ita ut et parallelismus ille nobis iam ex Dicaeopolidis partibus notus membrorum scitaque quaedam parodia luculentissime evaderet. Verba autem militis gloriosi et in obscoenum vertere vetabatur ratione matronarum dignissimarum in subselliis rudibus sedentium, a quibus τὰ θεωρικά pendebant, eratque omnino phallo privatus atque in usum Delphini castratus. Postea autem militis somnum capturi iram titillando movit, qui statim centuriam quandam miserrimorum homuncionum conflavit atque in illum vel balistis invehebatur. Iam Pulcinella balistis ipsis manibus arreptis miseram illam turbam prostravit. Clamor fugientium, ingentia fulmina pulveris pyrii aptissimam illi, quisquis et erat, poëtae occasionem offerebant mittendae contionis spectatorum. Nescio an et hos sibi vindicet Graecia mimos, qui vilis mercedis causa misera in taberna mobilia ligna nervis trahebant.

Cognovimus supra comoedias Aristophaneas vestigia adhuc servare ludi cuiusdam ex variis scenis levi vinculo coartatis compositi atque proferre in initio prologum quendam a persona praecipue ridicula recitatum, in quo

argumentum dramatis exponatur, ne dicamus, quo omnino argumentum dramatis contineatur. Eundem usum et in ceteris fabulis quamvis aliquo modo mutatum vigere infra iam videbimus. Satis magni momenti hic est adnotatio quaedam in illis pretiosissimis commentariis περὶ κωμῳδίας servata, quae mihi nondum ita, ut debet aestimari videtur:' Επίχαρμος Συρακόσιος. (Kaibel pag.7, 16). οὗτος πρῶτος τὴν κωμωδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προςφιλοτεχνήσας. Epicharmus igitur comoediam laceratam omnibusque vinculis solutam sibi sumpsit in ordinem restituendam, et in hac ipsa re illius τέχνη versata est, si quidem verba grammatici sequimur. Non immerito hic memineris oeconomiae, ut ita dicamus, liberioris ludorum eiusmodi nostrae aetatis Hanc et ut opinionem teneamus de mimis, Reichius saepius monet, qui ratione unitatum, quae dicuntur, aut actionis aut temporis aut loci omnino non habita mira quadam varietate personarum et scenarum gavisi esse putandi sunt. Locupletissima autem huius rei est testis mea quidem sententia natura priorum Aristophanearum fabularum. Facile intellegitur, quomodo in tali natura mimi desideretur prologus quidam, quo spectatores de quibusdam rebus ad intellegenda ea, quae sequuntur, idoneis vel potius necessariis doceantur. In eadem autem parte fabulae et poetae occasio offertur de se ipso verba faciendi atque varia cum spectatoribus communicandi, qua facultate omnes minorum scriptores usque ad hunc fere diem usos esse videmus. Memineris exempli gratia illius prologi Laberiani servati, quo de sua ipsius fortuna deque rebus publicis poeta agit. Choricius in illa apologia mimi, quam iam saepius commemoravimus, huius usus testis loco quodam scito, quo se ipsum quasi in modum mimorum προσλαλοῦντα fingit : I.2. δεήσομαι δὲ πάντων ὑμῶν ἣν οὗτοι συνήθη ποιοῦσιν πρὸς τὰ θέατρα δέησιν ἱλαρῶς ἀκοῦ-

σαι τοῦ λόγου.

Hanc duplicem dotem prologi, ut et argumentum fabulae notetur et spectatorum animi ad ludum attendantur inveniemus eandem et in fabulis quibusdam Aristophaneis, quas tres in usum nostrum coniungimus, Equites, Vespas, Pacem.

Inest sane in eis eadem persona senis, quae et in prioribus, nam Demos, Philocleon, Trygaeus primo optutu haud ita diversi videntur esse a Strepsiade, Dicaeopolide. Et tamen aliter in contextum quasi dramatis inserti sunt quam illi. In altera sane parte dramatis plane conservant suam priorem naturam. Verbi gratia in Pacis altera parte post parabasin actam omnino de argumento nil [illegible] tum est. Plane igitur ut in Acharnensibus variae personae ludibriis obrutae fugantur. Trygaeus mere Kasp[illegible] in hac parte seu chorus quidam comicus illis facet[illegible] rum rationem iam novimus ex duabus illis lustratis fabulis, invehitur in

a) Hieroclem vatem idque ita, ut versus heroicos ab illo utpote vate recitatos dactylis suppositis suppleat in ridiculam partem
b) falcarium (1182 - 1191)
c) cristarium (1195 - 1208)
d) loricarium (1208 - 1224)
e) galearum fabrum (1225 - 1239)
f) hastarium (1240 - 1249)
g) filium Lamachi (1255 - 1279)
h) filium Gleonymi (1280 - 1296).

In his duobus ultimis colloquiis iterum viget illud studium parodiae adiungendae Pulcinellae [illegible] supra [illegible]mus, proprium.

Sic et in Vespis Philocleo senex posterio[illegible] nil aut patitur aut facit, quod ad argumentum [illegible] ullo modo usui sit, immo, qui modo erat senex [illegible]

atque truculentus, evadit consuetus Pulcinella.

Primum a filio ingenti opera ad coenam praeparatur, nam Philocleo, utpote vere bomolochus, multa habet, quae proposito adversentur, multa et loquitur, quibus tempus consumatur, minime ad rem pertinentia. Rediens autem e coena incidit in consuetas illas personas ludibriis obruendas, quae semper Aristophani post parabasin hinc illinc prorepunt. Introducitur artopolis quaedam, κατήγορος, illuduntur Carcini filii neque est cur versu 1537 fabula finiatur. Possent enim tales facetiae a versu in versum produci aut quolibet loco abrumpi.

Tertia fabula, quam huic ordini attribuimus, E q u i t e s, fingit in altera parte Demon iudicem inter allantopolam et Cleonem, quorum colloquio nonnullis locis facetiis suis aspirat.

In omnibus his, quas notavimus, partibus ratio Pulcinellarum plane eadem est ac collegarum fuit, quorum facetias accuratius tractavimus.

Satis gravis autem est mutatio, quam poëta in prioribus partibus harum trium fabularum instituit. Prologi enim a duobus servis proferuntur, qui quam sint ter eodem modo adhibiti, primo obtutu cognoscitur. Paucis verbis dictis alter servus procedit, ut argumentum fabulae exponat, id quod prius senex ipse fecerat.

Servus, qui dicitur Demosthenes[8]) (36):

βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;
. . . νῷν γάρ ἐστι δεσπότης κτλ.

In Vespis Xanthias (54)

φέρε νῦν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον . . . . .
ἔστιν γὰρ ἡμῖν δεσπότης κτλ.

[8]) Adhibemus hoc nomen in gratiam perspicuitatis, quamvis non ignoremus allegoriam scitam, qua hanc fabulam imbutam esse voluit poëta, aliqua certe ex parte nominibus talibus restitutis everti.

In Pace οἰκέτης A. (50)
ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις . . . φράσω.
ὁ δεσπότης μου κτλ.

Atque alter ille servus, qui non argumentum spectatoribus exposuerat, partibus suis protaticis actis recedit neque iam postea ullius momenti est. Sic Nicias, qui dicitur, una cum versu 154 scaenam relinquit non iam rediturus ille. (Nam versum 234 Niciae abnegandum esse iam dudum constat. Verba enim ipsa nullo modo significant illum hoc loco prorumpere statimque sese recipere, animadvertit et Cleo duas, non tres personas neque illius exclamationis rationem habet quasi a novo quodam emissae. cf. ξυνώμνυτον . . . ἀφίστατον. Restat allantopola, qui una cum hac terroris significatione fugae se mandare aegreque a Demosthene retineri putandus est.)

Sic et Sosias Vesparum mere protaticus est. Servis Pacis ambobus scaena erat relinquenda prologo peracto, id quod scaenae ratione postulabatur fingentis illum Trygaei ascensum in coelum.

Redeamus autem ad illos servos, qui prologi munere funguntur. Mire enim illud accidit, quod hi ipsi per priores partes fabularum agunt illas partes ridiculas, quas antea dominus per totam fabulam.

Ubicumque Cleo et allantopola scaenam adierunt, Demostheni nil iam est agendum in fabula ipsa. Satis habet, fulcire quasi verba isiciarii adnotationibus, quae ad rem ipsam nil faciunt, sed mera bomolochia continentur.
cf. 282. Ἀλλ: ναὶ μὰ Δία κἄγωγε τοῦτον (scil. ἐνδείκνυμι) ὅτι κενῇ τῇ κοιλίᾳ
εἰσδραμὼν εἰς τὸ πρυτανεῖον, εἶτα πάλιν ἐκθεῖ πλέᾳ.
Hic Demosthenes addit plane in morem Pulcinellae
νὴ Δί᾽ ἐξάγων γε τἀπόρρηθ᾽ ἅμ᾽ ἄρτον καὶ κρέας
καὶ τέμαχος, οὗ Περικλέης οὐκ ἠξιώθη πώποτε.
inprimis cf. 319. Incusaverat allantopola Cleonem, quod

malum vendidisset corium. Hic Demosthenes addit:

νὴ Δία κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταὐτὸν ὥστε καὶ γέλων
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν.
πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔννεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.

Hic nobis occurrit iterum illud „a parte" loqui, quod neque ullius momenti ad argumentum fabulae absolvendum est neque alia de causa nisi risus movendi gratia introducitur. Invenimus hic et consueto more parvam quandam historiolam praeter rei necessitatem in ridiculam partem adiectam. Nunquam autem fere talia a ceteris personis curantur. cf. et. 375, ubi Demosthenes, ut minas isici-427/28, Demostheni sine ullo dubio attribuendi versus, arii vel augeret, proctoscopiam quandam suadet, deinde (cf. ἄμφω vers. 429), quibus affirmatur gravitas cuiusdam a isiciario prolatae historiae haud sine addita obscoenitate (cf. Vahlen, Hermes XVI p. 168).

Xanthiae partes per priorem fabulae partem ad eandem rem spectant. Bdelycleo vehementissime de sycophantis queritur semper et ubique insidias rei publicae paratas praesagientibus. Hoc et servus observavit:

500) κἀμέγ' ἡ πόρνη χθὲς εἰσελθόντα τῆς μεσημβρίας,
ὅτι κελητίσαι ἐκέλευον, ὀξυθυμηθεῖσα μοι
ἤρετ' εἰ τὴν Ἱππίου καθίσταμαι τυραννίδα.

quae verba plane „a parte" dicta esse apparet, praeter rem ipsam adiecta, obscoene comparantia nostrum φίλιππον cum Hippia tyranno. Huic Xanthiae et quin dandus sit versus 823 equidem non dubito, ille in codicibus Sosiae attributus, cum quo tamen omnino non iam nobis est agendum (cf. 395 οὗτος, ἐγείρου.) Bergk hunc versum attribuit Philocleoni, quam tamen ad distributionem ei erat opus mutatione quadam, qua versum antecedentem a Bdelycleone voluit recitari, ut sermonis continuatio, quam ipse perturbaverat, hoc modo restitueretur. Sed potius Xanthias ille interlocutor, ubi-

cumque Cleonymi fecerat mentionem, Philocleo in comparanda statua Lyci, facetiarum consuetarum de hoc pseudoheroe occasionem gratissimam arripit:

οὔκουν ἔχει γ' οὐδ' αὐτὸς ἥρως ὢν ὅπλα.

In codicibus videmus saepius vel eos, quos certis nominibus notavit poëta, servos simpliciter significari loco notationis personarum θεράποντας vel οἰκέτας. Hoc ex usu fluxisse videtur confusio nostri loci

Restat, ut pauca de prologi munere ab eisdem servis peracto proferamus. Habes enim illic et τὴν οἱ μῖμοι συνήθη ποιοῦσιν πρὸς τὰ θέατρα δέησιν, ἱλαρῶς ἀκοῦσαι τοῦ λόγου. (Chor. de mimis I .2.). Nam in Equitibus quidem sic legimus (37)

ἓν δ' αὐτοὺς παραιτησώμεθα
ἐπίδηλον ἡμῖν τοῖς προσώποισιν ποιεῖν,
ἢν τοῖς ἔπεσι χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασι.

In Vespis: (86).

εἰ δὴ 'πιθυμεῖτ' εἰδέναι, σιγᾶτε νῦν.

Hoc loco et poëtae occasio datur de se ipso ore huius prologi loquendi. In Vespis multa et gravia de natura suae fabulae non e consuetis typis compositae hoc ipso loco profert, ita ut duabus hic rebus evadat haec pars comoediae in modum parabaseos fere aut Terentiani cuiusdam prologi ficta esse.[9])

In universum autem lustrantibus nobis has singulares partes prologi eiusdemque et Pulcinellae prioris partis fabulae apparet esse eas non satis diligenter cum fabula coniunctas. In posteriore parte dramatis omnino extinguuntur, et vel priori parti aegre inseruntur, nam vides artem interloquendi Demosthenis et Xanthiae raro tantum in usum vocari. Vides quam molesta otiosaque paulatim

---

[9]) Memineris et illius iam supra commemorati prologi Laberiani, quo eodem modo poëta de se ipso loquitur.

haec persona protatica prologoque obnoxia ceteris adstet. Hoc et sensisse putandus est poëta, nam mutatione quadam, quam in sequentibus fabulis instituit, nil aliud petit nisi illud, ut artius cohaereant singula membra fabulae. Antequam autem ad eam accuratius significandam accedemus, testimonii cuiusdam iuvat mentionem fecisse, quo probatur haec ratio Vesparum, Pacis, Equitum, de qua modo egimus, consueta fuisse aetate Aristophanea. Exstat enim pretiosissimus quidam personarum scenicarum catalogus (Vesp. 56-66), cum ex eo natura quarundam fabularum, de quibus alibi non esset quomodo iudicaremus, enucleari possit. In hoc catalogo praeter Herculem voracem nominantur nostri duo servi.

ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις·
οὐθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος.

Duo igitur servi consueto more scaenam adibant neque magnopere est mirandum hanc duorum servorum inductionem facere poëtam reprehendi ab altero horum ipsorum servorum, se ipsum flagello quasi suis verbis percutiente. Talia non mira esse debent in eo, qui in ineptias omnis generis invectus est a collegis excogitatas illas eodemque quasi oris spiritu illos sectatus est.

Moneamus et illud poëtam loco laudato commemorare communicationem quandam iocorum et sermonum, qua in illis, quos respicit, ludis coniungantur servi et spectatores. Tales quidem scenas nobis servatas fere esse putaverim, si quidem omnes hos tres prologos praeter argumenta relata varios iocos instituere videmus, cantharum voracem ali cum variis insertis ineptiis, vinum a servis clam surreptum hauriri, somnia de Cleonymo „rhipsaspide" illo narrari et explicari, alia eiusmodi omnino non ad fabulam spectantia agi. Immo communicavit et Ari-

stophanes hoc loco modo haec modo illa praeter argumentum ea ratione cum spectatoribus, cui ipse notam censoriam inussit.

cf. verba haec ex Vesparum prologo hausta

νόσον γὰρ ὁ πατὴρ ἀλλόκοτον αὐτοῦ νοσεῖ
ἣν οὐδ' ἂν εἷς γνοίη ποτ' οὐδ' ἂν ξυμβάλοι,
εἰ μὴ πύθοιθ' ἡμῶν· ἐπεὶ τοπάζετε.
'Αμυνίας μὲν ὁ Προνάπους φήσ' οὑτοσὶ
εἶναι φιλόκυβον αὐτὸν· ἀλλ' οὐδὲν λέγει.

Eadem ratione per sequentes decem versus pergitur. Habes illos

χάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις.

Significavit et tales scenas certo quodam nomine poëta:

μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις
οὐθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος.

. . . .

ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον
ὑμῶν μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.

Plane similis locus, qui non modo Heraclis voracis sed et servorum duorum mentionem facit, offertur in Pace. cf. versus 739 sqq.

Poëta se ipse chori persona sumpta his laudibus effert: πρῶτον μὲν γὰρ τοὺς ἀντιπάλους μόνος ἀνθρώπων κατέπαυσεν
εἰς τὰ ῥάκια σκώπτοντας ἀεὶ καὶ τοῖς φθειρσὶν πολεμοῦντας·
τοὺς θ' Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους

ἐξήλασ' ἀτιμώσας πρῶτος, καὶ τοὺς δούλους παρέλυσεν
τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες,
οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεί, καὶ τούτους οὕνεκα τουδί,
ἵν' ὁ σύνδουλος σκώψας αὐτοῦ τὰς πληγάς, εἶτ' ἀνέροιτο,
ὦ κακόδαιμον, τί τὸ δέρμ' ἔπαθες; μῶν ὑστριχὶς εἰσέβαλέν σοι
εἰς τὰς πλευρὰς πολλῇ στρατιᾷ κἀδενδροτόμησε τὸ νῶτον;
τοιαῦτ' ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον καὶ βωμολοχεύματ' ἀγεννῆ
ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν.

Talia embolima ludibunda Aristophanes ipse in eis, de quibus loquimur, prologis in suum usum convertit. Servi Equitum, ut hoc afferamus exemplum, potum sibi surripiunt, plagas magnopere pertimescunt plane in modum illorum collegarum. Atque — id quod praecipue memorabile est — iam ex illo loco Pacis allato perspicimus alterum servorum suam bomolochiam adicere ad res adversas, quibus collega obruitur.

In Avium initio iterum incidimus in dialogum quendam neque tamen in consuetum illum duorum servorum. Peithetaerus, qui per totam fabulam primarias tenet partes, iam in pologo scenam adit. Facile cognoscitur, quam bene hic novaverit poëta in eo, ut contextum scenarum artiorem redderet. Illius enim comes et prologus et Pulcinella prioris partis evadit, multo igitur artiore vinculo cum fabula coniunctus quam Demosthenes aut Xanthias.
Prologi munere consueto more fungitur:

ἡμεῖς γὰρ ἄνδρες οἱ παρόντες ἐν λόγῳ
νόσον νοσοῦμεν τὴν ἐναντίαν Σάκᾳ.

Sequitur sollemnis argumenti agendi expositio. Huius igi-

tur prologi quae sint in sequenti fabula partes sane iuvat accuratius perspexisse.

Est autem echo quaedam amici aut — en Xanthiam aut Strebsiadem redivivum! — comitis verbis parvas narratiunculas inserit, quae nihil ad rem ipsam spectantes ludibundam quandam petulantiam, nonnumquam et spurcitias plus minus salibus conditas proferunt itaque risum movent.

I.) Quomodo huius vox quasi echo resonet haud ita multum distans ab illis parodiis Dicaeopolidis et Trygaei, cognoscas ex versibus his:

5) Π: τὸ δ' ἐμὲ κορώνῃ πειθόμενον τὸν ἄθλιον
ὁδοῦ περιελθεῖν στάδια πλεῖν ἢ χίλια

7) Εὐελπ: τὸ δ' ἐμὲ κολοιῷ πειθόμενον τὸν δύσμορον
ἀποσποδῆσαι τοὺς ὄνυχας τῶν δακτύλων

Iam his versibus parallelis apteque concinnis Euelpidem studium quoddam orationis Peithetaeri in ridiculam partem vertendae praestare apparet. De eadem ratione facetiarum cf. et 49/50 et 50/51. 54 et 55. 662 et 663.

II.) iocus Euelpidis versatur in ludis verborum.

δοῦλος 70

τρέχω- τρόχιλος 79

σπέρμα 111

'Οπούντιος (nomen viri et gentis) 153

προπεφύραται et διαμάττειν in sensum proprium accipit 464.

ἀριστοκρατεῖσθαι - 'Αριστοκράτης 125.

cf. et 476 κεφαλή (= caput) - Κεφαλή (demos)

151 λέπρα -- Λέπρειον.

III.) aut iocus in eo positus est, ut ridiculam quandam clausulam adiungat orationi antecedenti.

114. πρῶτα μὲν ἦσθ' ἄνθρωπος, ὥςπερ νώ ποτε
κἀργύριον ὠφείλησας, ὥςπερ νώ ποτε,
κοὐκ ἀποδιδοὺς ἔχαιρες, ὥςπερ νώ ποτε.

Quasi hominem esse nil aliud sibi velit quam aes alienum contrahere.

511. Avis in sceptro sedet, ut Lysicratem observet.

Epops 161: σήσαμα, μύρταμα, μήκωμα, σίσυμβρα νεμόμεσθα.
Euelp. ὑμεῖς μὲν ἄρα ζῆτε νυμφίων βίον.

480. Si quidem aves superaturae sunt deos auctoritate, id quod Peithetaerus contenderat, nil habebit Iuppiter antiquius nisi ut pico tradat sceptrum.

146. Caveamus ne παρὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν castra ponamus Illinc enim abduceremur navibus publicis Atheniensum.

IV.) facetiae derivandae sunt ab eo, quod aliquod verbum inopinatum in contextum plane peregrinum irrumpat, ad quam rationem significandam scholiastae voce παρ' ὑπόνοιαν utuntur.

605. ὡς ἄνθρωπός γε κακῶς πράττων ἀτεχνῶς οὐδεὶς —
ὑγιαίνει

102. πότερον ὄρνις ἢ — ταῶς;

99. οὐ σοῦ καταγελῶμεν.
ἀλλὰ τοῦ;
τὸ ῥάμφος ἡμῖν σοῦ γελοῖον φαίνεται.

96. οἱ δώδεκα θεοὶ — εἴξασιν ἐπιτρῖψαί σε.

Potest autem et

V.) quicquid iam in re ipsa latet ioci, a bomolocho accuratius in lucem proferri, ut vel minus sagacius ingenium moveatur. Hac ratione utentem invenimus Trygaeum vatis quaedam verba quasi notantem, praecipue Strepsiadem, qui illi narrationi de hiante alazone aliquem quasi accentum attribuit his verbis

ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους.

Exscripsi hoc exemplum, quo plus evadat similitudo rationis Euelpideae, quae eodem modo ridiculas res seu eas, quas illi esse videntur ridiculae, solas ex contextu antecedentium verborum eligit.

cf. 570. ἥσθην σέρφῳ σφαγιαζομένῳ.
Sic et Trygaeus vatis verba quaedam cum risu repetens locutus est (Pacis versu 1066)

ἥσθην χαροποῖσι πιθήκοις.

VI) Sexta quaedam ratio nobis iam bene ex omnibus, quos novimus, bomolochis nota eo continetur, ut narratiunculae ridiculae praeter rem inserantur vel potius „a parte" recitentur.

Versu 494, cum cristatae avis fit mentio mane omnes ad opera diurna cohortantis, facere non potest, quin crinibus ipsis adripiat historiam quandam, qua quomodo tempore matutino stridore galli misere veste privatus quondam sit, copiose exponit. Eandem rationem repetit versu 502 sqq.

VII.) merae spurcitiae personis advenientibus affiguntur. cf. 668 sqq.

Quaerentibus denique nobis, cuius omnino momenti sit Euelpides in argumento ipso, apparet Peithetaerum unicum semper tum, cum aliquid omnino agendum est, verba facere, communicare, omnia denique regere. Hic bellum parat, hic omnibus ambagibus remotis quare advenerit exponit, hic societatem et foedus init, in hoc summa fabulae utpote in persona primaria posita est. Quicquid autem Euelpides dicit aut facit — facit autem omnino nihil aliud nisi ut alvum exoneret prae terrore, usu quodam scenico et hoc Pulcinellae consueto — nullo fere verbo dignum esse putatur a comite. Paucis tamen locis eius bomolochiis finis imponitur.

cf. 225. οὐ σιωπήσει;

274. τί βωστρεῖς;

Quid igitur hoc homine fiet in altera parte dramatis? Poëta enim non novavit in eo, ut in altera parte fabulae plane sicuti antea Dicaeopolidem, Strepsiadem, Trygaeum, Philocleonem, Demon, ita et hic faciat primariam

personam variis implicatam scenis, quibus re, non ratione et indole diversis illud est commune, ut opprobriis obruantur omnes, qni accedunt, plagisque fugae sese mandare cogantur. Apparet Euelpidem hic otiosam personam futuram fuisse. Ne igitur molestus premat scenam, artificio quodam usus est poëta: Iubetur enim sic a sodale

838. ἄγε νῦν σὺ μὲν βάδιζε πρὸς τὸν ἀέρα
καὶ τοῖσι τειχίζουσι παραδιακόνει
. . . .
κήρυκα δὲ πέμψον τὸν μὲν ἐς θεοὺς ἄνω,
ἕτερον ἄνωθεν αὖ παρ' ἀνθρώπους κάτω.
κἀκεῖθεν αὖθις παρ' ἐμέ . . . .

Horum mandatorum nullum aut videmus aut audimus absolvi, immo ad deos certe omnino nemo missus esse nuntius putandus est. Aliter enim non esset, quod tantopere novationem rerum miraretur Iris.

Aperte cognoscitur techina poëtae, qua sese liberavit molesta persona. Peithetaerus autem consueto more personae primariae suas partes agit ita, ut multitudinem quandam alazonum salibus adspergat. Ac primum quidem sacerdos fruitur eirone interlocutore neque hic reticebimus, illud ἥσθην, quod hic quartum in partibus Pulcinellae invenimus usui esse; repetitur et hic pars quaedam tumidae orationis in ridiculam partem:

880. Χίοισιν ἥσθην πανταχοῦ προσκειμένοις.

Quod autem in his scenis Peithetaerus et de eis rebus, quas modo instituerat, ridet et ludit, hoc Pulcinellam recte redolet nulli adscriptum fractioni neque quicquam petentem aliud nisi risum.

Sequitur poëta, χρησμολόγος, Meto, episcopus, psephismatopola, Iris, parricida, Cinesias, sycophanta, qui omnes εἰς κόρακας ire iubentur. Easdem partes et servat in colloquiis cum Prometheo, Poseidone, Heracle, Triballo habitis.

Est autem eius ratio plane eadem, quam prius secutus erat Euelpides. Eligimus ex magna copia pauca exempla:

I.) Versatur in soni similitudine diversorum verborum cf. 1529 Τρίβαλλος — τοὐπιτριβείης

II.) aut in meris spurcitiis, sicuti in illa cum Iride acta scena satis obscoena.

III.) aut in verborum significatione in suum usum detorto.

cf. πτεροῦν 1437 sqq.

IV. aut denique coniungit verba παρ' ὑπόνοιαν.

cf. 877. δέσποινα Κυβέλη, στρουθέ, μῆτερ Κλεοκρίτου.

Accedimus ad Lysistratam. Hic poëta concilio feminarum adiecit unam plane singularem, Calonicam, quae nil aliud nisi illud agit, ut quam optime verba aliarum in peius vertat suumque ipsiius genus irrideat. Talium interlocutionum omnino consueto more ratio non habetur ab aliis, a parte et illarum prolatarum. Minus bene enim talia verba, quae propositum ipsum in ludibrium vertunt, ad quae nemo respondet, quae et qui omnino curet non est, in firmo dialogi contextu posita tibi fingas. Optime suas partes illa Calonica incipit, cum statim post salutationem orationem Lysistratae interrumpat hoc modo:

10. Lys: ὅτιή παρὰ μὲν τοῖς ἀνδράσιν νενο μίσμεθα εἶναι πανοῦργοι

Kalonike: καὶ γάρ ἐσμεν νὴ Δία.

Quo modo haec putas ad Lysistratam audientem dici potuisse? Hic Pulcinella muliebris non minus suum ipsius genus irridet quam sua ipsius instituta Peithetaerus. Ubicumque res ipsa agenda est, plane recedit sicuti et Euelpides, cum quo et I.) illud ei est commune, ut saepius quasi echus vocem reddat, paululum tamen saepius verba in ridiculam partem vertat. Notavimus iam saepius hoc parodiae adiungendae studium Pulcinellae maxime

proprium. cf. 55. 116. 130. Itaque et a versu 212 usque ad versum 236 Lysistratae formulam verbo de verbo expresso voce sua repetit. Est enim illud in natura bomolochi positum, ut secundarias quasdam partes agat neque et a ludis mimicis nostratum illud est alienum, ut Kasperle vehementissime orationis cuiusdam modo habitae voces ultimas repetens assentiatur. Cur tamen omnino Pulcinella quamvis bomolochus partes feminarum sequatur atque cum aliis faciat, in eo secreto, quod iam sibi vindicare Pulcinellam cognovimus, non quaeri debet. Primam artis bomolochorum rationem quasi et in Calonica deprehendimus, studium parodiae adiungendae. Exstat huius rationis et optimum exemplum versibus 46 sqq. nostrae fabulae.

Incidimus autem et in illa alia consueta genera facetiarum. Calonica enim

II) loquitur παρ' ὑπόνοιαν.

102. Coniu meus iam per sex menses abest, — ut observet custodiaque coërceat Lysicratem, suum ducem.

35. Βοιωτίους τε πάντας ἐξολωλέναι.

Καλ.: μὴ δῆτα πάντας γ', ἀλλ' ἄφελε τὰς ἐγχέλεις.

III.) Inserit illas consuetas narratiunculas ridiculas praeter argumenti necessitatem.

59. De Salaminiis in modum Xanthiae illius Vesparum φιλίπποις.

63. De Acharnensibus cum agitur, occasio illi offertur proferendae cuiusdam de Theagenis coniuge historiunculae.

VI.) ludit in sono verborum

67. sqq. Ἀναγυροῦς — ἀνάγυρος.

V.) orationem antecedentem excipit bomolochiis ridiculis in modum Euelpidis.

cf. 189/90. μὴ σύγ' ὦ Λυσιστράτη
εἰς ἀσπίδ' ὀμόσῃς μηδὲν εἰρήνης πέρι.

VI.) Sic et in universa indole harum partium non mi-

rabimur, quod Calonica saepissime rem a Lysistrata feminis propositam ipsam irridet neque et suo generi ullo modo parcit. Huius rei iam supra exemplum attulimus, quo suas partes quasi inauguraverat. (v. 12).
cf. et 31. et 42.

Sic et apte suas partes in ecclesia feminarum, immo omnino hanc ecclesiam finit his verbis

μὰ τὴν ᾿Αφροδίτην οὐδέποτέ γ'. (scilicet ianua reserabitur)
ἄλλως (frustra, immerito) γὰρ ἂν
ἄμαχοι γυναῖκες καὶ μιαραὶ κεκλήμεθ' ἄν.

Si codicibus nitimur, partes Calonicae hoc versu finitae sunt. Quod tamen caveamus ne credamus.

In versu 561, ubi certamen inter senes et mulieres vehementissimum exarsit, inserit mulier quaedam narratiunculam ridiculam plane in modum Euelpidis.

Lys.: καὶ μὴν τό γε πρᾶγμα γελοῖον
ὅταν ἀσπίδ' ἔχων καὶ Γοργόνα τις
κᾆτ ὠνῆται κορακίνους.

Hic mulier quaedam, quae in codice notatur per vocem γυνή, sic:

νὴ Δί' ἐγὼ γοῦν ἄνδρα κομήτην φυλαρχοῦντ' εἶδον ἔφιππον
ἐς τὸν χαλκοῦν ἐμβαλλόμενον πῖλον λέκιθον παρὰ γραός,
ἕτερος δ' αὖ Θρᾷξ πέλτην σείων κἀκόντιον ὥςπερ ὁ Τηρεύς,
ἐδιδάσκετο τὴν ἰσχαδόπωλιν καὶ τὰς δρυπρέπεις κατέπινεν.

Apparet hanc mulierem neminem esse nisi Calonicam primum quidem e natura partium, deinde ex eo, quod notatio illa simplex γυνή significare putanda est est eam mulierem, quae prima advenerat, nostram igitur Calonicam. Ad hanc sententiam deducimur et alio quodam loco, quo iterum non certum quoddam nomen legimus, sed notationem γυνή A. Haec est Calonica. In versu enim 603 haec mulier prima, quam Calonicam ex ordine personarum esse concedis, invehitur in senem quendam plaga Lysistratae iam prostratum his cum verbis

καὶ ταυτασὶ δέξαι παρ' ἐμοῦ

Sic videmus et eam, quae in mimis germanicis has partes agit, personam faciles sibi parantem victorias eo, ut in adversarium quendam plagis iam altera quadam ex parte obrutum irrumpat unam ex sua parte addens plagam his fere cum verbis:

En, habeas et haec de mea parte.

Miserum autem in modum notatio personarum in hac fabula confusa est. Ne igitur nobis iure tuo obicias alligasse nos lintrem nostrae argumentationis putrido fune coniecturarum, sufficiat hoc loco probasse:

exstare et in Lysistrata personam quandam, unice ad delectandos spectatores introductam, nullo firmo cum argumento coniunctam vinculo, bomolochorum consueto generi adscribendam.

Recessisse autem ne reticeamus hic poëtam primum a consuetudine argumenti prologo pronuntiandi eundemque et ab usu scenarum illarum dissolutarum aegre vinculo personae primariae coniunctarum.

In Thesmophoriazusis Mnesilochum Pulcinellae partes agere facile est intellectu. Initium huius fabulae redolet Nubes, cum et hic invenias doctum alanonem variis bomolochiis irrideri. Sic et Mnesilochus iocularem in modum verba magistri detorquet.

Euripides docet in modum infundibuli aurem figuratam esse. Mnesilochus sibi arripit vocem χοάνη — hoc enim semper curat Pulcinella, ut vilia et domestica ad sublimia afferat — atque loquitur „a parte", ut putaverim,

διὰ τὴν χοάνην οὖν μήτ' ἀκούω μήθ' ὁρῶ.

cf. et 26. ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο; Κηδ.: νὴ τὸν Ἡρακλέα.
οἶμαί γε. Eur.: σίγα νῦν. Κηδ.: σιωπῶ τὸ θύριον.
Eur.: ἄκου' Κηδ.: ἀκούω καὶ σιωπῶ τὸ θύριον.

Eandem semper sequitur rationem poëta, ut una cum alazone et eirona introducat. Hic utpote bomolochus sup-

plet suo sane more versus docti servi Agathonis seu per βομβάξ seu, ubi duo desiderantur anapaesti, per βομβαλοβομβάξ seu per ridiculas suas adnotationes.

cf. 49). μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων πρόμος ἡμέτερος
Mnes: μῶν βινεῖσθαι;

et 57). καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγύλλει καὶ χοανεύει
Mnesil.: καὶ λαικάζει.

cf. et 98. 100. 153. 167-170. 200/01. 206/07. 232. 235. 237. 242. 243. 248. 257. 276. alibi.

Hic Pulcinella plurimus est in obscenis versiculis vel castissimae materiae adiungendis. Hunc et decet mulibri ornatu praeditum γυναικίζειν τῇ φωνῇ εὖ καὶ πιθανῶς, hunc et apertissimis argumentis virum cognosci, hunc in angustiis consueta Pulcinellae ratione mingere, hunc in suavissimo illo examine bomolochiis suis effugere conari, hic servat et suas singulares partes in illa scena, qua mirum illum infantem mulieris cuiusdam brachiis tenet (cf. 740 sqq.) atque facetiis sese defendit.

De Ranarum prologo scurrili iam saepius disputatum est. [10]) Apparet miram illam opinionem Kockianam rectis talis stare non posse, quasi Aristophanes tales scenas consilio ac ratione adhibeat, alii minus. Estne autem omnino ad alios confugiendum in diiudicandis talibus scenis? Revocamus naturam huius prologi aliquo modo ad illum Avium. Habes alazonem firmo quodam proposito ductum una cum comite eirone peregre migrantem. Est autem Ranarum prologus ideo maximi momenti, quod ex eo iterum quaedam de natura quorundam ludorum graecorum accipimus.

1. Εἴπω τι τῶν εἰωθότων, ὦ δέσποτα,
ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσι οἱ θεώμενοι;

sequentium versuum compendium facio, affero autem

---

[10]) praeter alios Dieterich, (Pulc. pag. 25) Bethe (Prol. pag. 63) Koerte (Arch. Jahrb. VIII. (1893) pag. 87).

12 sqq. τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας,
σκεύη φέρουσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.

Num profecto hic novum quoddam accipimus ad naturam comoediae Atticae ipsius cognoscendam pretiosissimum? Memineris prologi Pacis, Vesparum, Equitum, Avium denique; iam concedes et in his ludi atque rideri praeter argumenti necessitatem. Illud autem ex hoc loco accipimus dignissimum sane, quod attendatur, talia in natura fere comoediae Atticae posita et in aliis comoediis eisque plurimis facta esse.

Partes Xanthiae itemque et Carionis iam Dieterich putaverat „Pulcinellam redolere.[11]) Atque hic quidem iuvat addidisse: Neque tamen ullo modo distant ab eis, quas Euelpides aliique bomolochi Aristophanei agunt.

Loquitur enim παρ' ὑπόνοιαν:

40.) Διον.: ὁ παῖς. Ξ.: τί ἔστιν; Διον.: οὐκ ἐνεθυμήθης;
Ξ.: τὸ τί;
Διον.: ὡς σφόδρα μ' ἔδεισε. Ξ.; νὴ Δία, μὴ μαίνοιό γε.

cf. et 51.) κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην, quo verbo alazoniam domini quasi somnium notat.

88.) περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος
ἐπιτριβομένου τὸν ὦμον οὑτωσὶ σφόδρα.

Xanthias et semper vilia sublimibus admiscet, si quidem ex mysteriis ab Hercule descriptis sibi elegit aptas partes νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγω μυστήρια idemque in castissima mystarum carmina interlocutione varia irrumpit.

338.) ὡς ἡδύ μοι προσέπνευσε χοιρείων κρεῶν.

Ad argumentum ipsum fabulae et hic Pulcinella nullius momenti est. Itaque et sicuti Euelpides in posteriore par-

11) l.l. pag. 25.

te dramatis non iam emergit excepto illo exiguo cum Aeaco collega instituto statim post parabasin colloquio.

Sustinet autem eius partes Dionysos dominus sequens ille eam rationem, quam iam Peithetaerus, Demos, alii erant secuti. Ille enim in agone bomolochi partes agit. Consueto more viles res forte quadam in certamine illorum tragicorum poëtarum commemoratas sibi eligit accuratissime tractandas. cf. 931. 1029. 1024. 1067. 1074. 1157 sqq. 1175. 1242. 1227. aut interlocutione incommoda molestus fit cf. versum 947, quo de genere Euripideo haud ita heroico disputat.

aut narratunculas illas nobis iam satis notas inserit .

980 de doctrina Atheniensium.

1037 de Pantocle.

1196.

aut verba in sensum proprium detorquet cf. 1049. 1278. aut in mera obscoenitate antecedentibus versibus agglutinanda versatur cf. 1308. Potuit sane iure suo de eo Aeschylus iudicium illud ferre:

1150.) Διόνυσε, πίνεις οἶνον οὐκ ἀνθοσμίαν.

In Ecclesiazusis non, ut in Lysistrata factum est, femina quaedam inter alias persona bomolochi induta est, ita ut omnino haec communem rem nihil curans in irridendo ponat operam, sed Blepyros evadit Pulcinella, ἀγροῖκος sane et ille neque tamen primarias partes acturus sicuti Dicaeopolis et Peithetaerus, ita ut mediam fere partem teneat inter comitem et ἀγροῖκον primariarum partium. Una cum versu 311 demum scenam ȧdit, de sua misera fortuna spectatores certiores facit, et deficientibus facetiis consueta quadam et Dicaeopolidi et Dionyso ratione cacare incipit, quam rem iocis et ineptiis suis ornat. Totam hanc scenam ἐμβόλιμον quoddam in honorem et gratiam Pulcinellae insertum esse apparet.

Jam vigent eius partes in eo colloquio, quod cum Chremete instituit. Non iam mirabimur hunc bomolochum vel sibi ipsi non parcere neque et illud, quod ineptiarum illius omnino ratio non habetur. cf. 373. 404. 422. 436—440. 445. 451. 462. 467. Omnes hi versus consuetae rationis bomolochiarum pleni sunt. Quomodo παρ' ὑπόνοιαν loqui sciat itemque et obscoena adiungere unico probabimus exemplo:

Bl.: ἐκεῖνο δεινὸν τοῖσιν ἡλίκοισι νῷν,
μὴ παραλαβοῦσαι τῆς πόλεως τὰς ἡνίας
ἔπειτ' ἀναγκάζωσι πρὸς βίαν Chr.: τί δρᾶν;
Bl.: κινεῖν ἑαυτάς.

Confidimus autem nos aliquid facere posse ad personarum catalogum enucleandum itemque et ad hoc nostrum propositum, siquidem quaestionem instituimus, quisnam sit omnino ille ἀνήρ subito (cum versu 564) in fabulam incidens et quidnam omnino illi sit agendum in fabula. Blepyros versu 562 sq. consueto more se ipsum irriserat [12]. Hoc loco ab illo „viro" monetur, ut feminam loqui suamque orationem absolvere patiatur. Idem ἀνήρ et versu 568 suam admirationem de novo statu rerum significat. Hac adnotatione commotus Praxagora versus hos profert:

ἀλλ' ἀποφανῶ τοῦθ' ὥςτε σέ γέ μοι μαρτυρεῖν
(id est „hominem" illum)
καὶ τοῦτον αὐτὸν μηδὲν ἀντειπεῖν ἐμοί,
(quibus verbis bomolochum notat).

Satis mirum est hunc ἄνδρα per totam illam, quae sequitur, orationem tacere. Exstat tamen testimonium eius una cum Blepyro adstantis versu 588 Praxagorae:

[12]) Bergk in distribuendis his versibus plane deceptus est recedens a codicum notatione idque non modo sine ulla causa, sed vel re in peius detorta.

μηδείς ὑμῶν. Fortasse autem hoc silentio mores illius aptius depingebantur quam ullo verbo. Nam versibus 728/29 denique hic ipse ἀνήρ, cui omnia persuaserat rhesis mulieris, se paratum esse significat suam rem familiarem in usum et gratiam salutis rei publicae in medium proferre. Habes hic illud testimonium, quod ab eo supra petiverat Praxagora. Argumenti ipsius necessitate apparet hunc et illum καταθέντα esse unam eandemque personam. Huic, neque cuiquam alteri, novus ordo rerum probatus erat, hic et promiserat se illud facturum esse, quod re vera postea facit: κατατίθησι.

Tota haec quaestio facilior est diiudicatu, quam primo obtutu esse videtur: Evadit hic ἀνήρ ille γειτνιῶν qui iam (vers. 327) nescimus quo sensu evocatus ex aedibus suis egressus erat atque in Blepyrum cacaturum inciderat. Eodem modo et hic ex aedibus egreditur commotus altercatione coniugum vehementi. Hac interpretatione tollitur quicquid et hanc personam pressit tenebrarum. Posset sane dubitari, quisnam in illo altero, qui notatur ὁ μὴ καταθείς, insit. Equidem autem non dubito, quin Blepyrus sit intellegendus, qui paulo ante uxoris orationem sua bomolochia perturbaverat neque, ut ille ἀνήρ γειτνιῶν se assentiri significaverat. Hoc iam Bergk suspicatus est. Equidem inprimis eo deducor ad hanc sententiam, quod hic ἀνήρ B. seu μὴ καταθείς partes bomolochi per totam hanc, de qua agimus, scenam agit. Accedit, quod in fine fabulae Blepyros iterum emergit rursus ibi novo nomine notatus: ὁ δεσπότης. Hic et accipimus Blepyrum non, id quod primum sibi proposuerat, si omnino Pulcinellae vis vindicare propositum ullum, ab uxore celeberrima non recedentem sibi aliquam partem gloriae il-

lius comparasse, sed potius illa verba 725 sqq. non minus quam multa alia, quae ex ore eius prodeunt, in partem iocularem sunt accipienda.

Hac disputatione videmur nobis iter quasi parasse ad partes Blepyri diciudicandas, De agonis oeconomia vix est, quod dicamus, cum bomolochus consueto more praeter rei necessitatem ridiculas res afferat, verba forte quadam oblata in suum usum plane a re ipsa alienum arripiat, (cf. e. gr. 596) in spurcitis denique sit plurimus. cf. versus 586, 596, 601, 602, 603, 608, 611, 615, 616, 619, 620, 621, 623 sqq., 630, 635/36, 638, 644, etc. etc. Scena autem illa cum viro res suas deposituro satis scite est composita ita, ut Blepyrus primum voce submissiore (746-752) profiteatur se nullo modo ad tantam stultiam adduci posse, deinde, mere εἴρων, simulet se nesçire, quas ob causas vicinus res suas auferat. cf. 754. 55. In sequentibus denique versibus viget iterum consuetum illud studium parodiae et parallelismi usque ad meras ineptias hic productum:

Ἀνὴρ A: σὺ δ' οὐ καταθεῖναι διανοεῖ; Blep. (Ἀνὴρ B): φυλάξομαι,
πρὶν ἄν γ' ἴδω τὸ πλῆθος ὅτι βουλεύεται.
Ἀνὴρ A: τί γὰρ ἄλλο γ' ἢ φέρειν παρεσκευασμένοι
τὰ χρήματ' εἰσίν; Blep.: ἀλλ' ἰδὼν ἐπειθόμην.
Ἀνὴρ A: λέγουσι γοῦν ἐν ταῖς ὁδοῖς Blep.: λέξουσι γάρ
Ἀνὴρ A: καί φασιν οἴσειν ἀράμενοι Blep.: φήσουσι γάρ.
Ἀνὴρ A: ἀπολεῖς ἀπιστῶν πάντ' Blep.: ἀπιστήσουσι γάρ
Ἀνὴρ A: ὁ Ζεὺς σέγ' ἐπιτρίψειεν. Blep.: ἐπιτρίψουσι γάρ

Tales versus ex intima natura partium Pulcinellae manant.

In versu 790 exstat scitum quoddam exemplum παρ' ὑπόνοιαν loquendi, inprimis autem moneantur versus 798-803, ubi iterum sonat echo vel ad summas ineptias prolata, semper tamen verbis antecedentibus ac-

comodata. cf. denique 776-783, 795, 806, 809, 823. Tria ultima exempla praebent iterum illas narratiunculas insertas, ex novissime gestis rebus haustas, quo modo videmus et nostris diebus Pulcinellam Agrippinensium, ut hoc tantum afferamus exemplum, in argumentum plane alienum inferre subito mentionem rerum in patria urbe nuper gestarum vel personarum notarum idque semper cum summo et risu et applausu civium.

Tota autem illa scena ne minimi quidem momenti ad proferendum argumentum est. In versu 833 plane in eodem puncto versatur fabula, in quo iam antea in versu 730, nam ἀνήρ A reiecta denique cavillatione bomolochi servum suo officio fungi iubet

οὐκ οἶδ' ὅτι ληρεῖς· φέρε σὺ τἀνάφορον ὁ παῖς.

Ecce evadit nobis plane eadem persona, ac Dicaeopolidis, Mnesilochi, Calonicae, aliorum nominatorum fuerat ad irridendam quamlibet alazoniam instituta, quae nullam partem omnino aut sequitur aut vehementer fugit, nullam et praestat omnino constantiam nisi eam, quae in perpetua bomolochia posita est. Sic et Blepyros, ubicumque de coena verba fiunt, foedus quoddam cum adversariis init. Suam sane rem familiarem deponere dubitat. At alios certe in deponendis rebus adiuvare paratus est, quod tamen auxilium repudiari ac respui videt. cf. 853, 854, 856, 857, 858, 859, 860, 861, 862, 866, 869.

In exitu fabulae subito iterum emergit hic Pulcinella, nomine δεσπότου ornatus neque tamen, id quod satis mirum est, unicus inter omnes coena iam est fructus ille, qui iam in versu 875 sqq. contenderat

βαδιστέον
ὁμόσ' ἐστὶ δειπνήσοντα κοὐ μελλητέον,

Haec aporia postea in fine huius de Pulcinella Aristophaneo disputationis solvetur.

Plutum similem servum, ac Xanthias est Ranarum, praebere persona Carionis iam Dieterich significavit. Revocabimus et hunc ad illum typum nobis iam satis perspicuum.
cf. versus 118, 131, 147, 153, 170, 217, 267,[13] 287.

Versus 189 sqq. dignos esse puto, qui exscribantur. Loquitur Chremylus, interloquitur Cario:

Chr.: τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή
ἔρωτος. Cario: ἄρτων, Chr-: μουσικῆς, Cario: τραγημάτων
Chr.: τιμῆς, Cario: πλακούντων, Chr.: ἀνδραγαθίας,
Cario: ἰσχάδων,
Chr.: φιλοτιμίας, Cario: μάζης, Chr.: στρατηγίας
Cario: φακῆς.

Vides hic Pulcinellam suo munere fungi vilia sublimioribus agglutinandi. Haud inepte describitur a choro rusticorum, quos ineptiis suis vexat atque moratur:

270.) διαρραγείης, ὡς μόθων εἶ καὶ φύσει κόβαλος
ὅςτις φενακίζεις.

Notatio personarum huius fabulae, sicuti et Lysistratae, locis quibusdam nondum satis liquet, quamvis multae doctae linguae modo hanc modo illam duritiem lingendo delere sint conati. Uno exemplo demonstrabimus, quomodo ars critica bene procedat, siquidem ordine et ratione singularem naturam eironis Aristophanei perspexerit.

Proponimus versus 160-180. Probatur illud certe his verbis Pluto ipsi divitias esse inventrices omnium artium. Ad tantam laudem ille sic:

[13]) quo loco lectio codicum quin sit tenenda non dubitari potest:

οἶμαι δὲ νὴ τὸν οὐρανὸν καὶ ψωλὸν αὐτὸν εἶναι.

Hoc plane consueto more παρ' ὑπόνοιαν dicitur neque cum Velsenio mutandum est. Vides, quam sit accuratior talium partium observatio vel ad textum constituendum nonnunquam fertilis.

οἴμοι τάλας, ταυτί μ' ἐλάνθανεν πάλαι.

Sequitur, siquidem primum licet intactos relinquere decem illos priores versus, particula quaedam meras fere nugas proferens, quae eodem modo divitiis vitam et lucem debere dicuntur·

μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ;
ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται;
τί δέ; τὰς τριήρεις οὐ σὺ πληροῖς; εἰπέ μοι.
τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;
ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται;
ὁ βελωνοπώλης δ' οὐχὶ μετὰ τοῦ Παμφίλου;
'Αγύρριος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;
Φιλέψιος δ' οὐχ ἕνεκα σοῦ μύθους λέγει;
ἡ συμμαχία δ' οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις;
ἐρᾷ δὲ Ναὶς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;
ὁ Τιμοθέου δὲ πύργος — ἐμπέσοι γέ σοι.

Hos versus omnes in codicibus Carioni attributos esse invenis, quam sententiam librarii — nam vix, ubi de notatione personarum agitur, plura dices tuo iure — aliqua ex parte sequendam esse propono. Editores maluerunt hos versus inter Chremylum et Carionem ita distribuere, ut stichomythia quaedam evaderet, quam tamen nullo parallelismo aut rerum aut orationis significatam esse invenimus. Apparet autem sex ultimos versus meris ineptiis contineri, quattuor versus primos in seriam partem dici. Hos des necesse est Chremylo, illos Carioni. Vel potius hoc probari video versu 180. Hic Chremylus interrumpere copiosam quandam orationem putandus est, siquidem supplet: ἐμπέσοι γέ σοι. Hanc interlocutionem domini nervis ipsis privabis, siquidem eam facis finientem stichomythiam quandam, Cario et hic quasi echo quaedam comica verbis seriis domini adiungit suas ridiculas bomolochias, dum a domino coërcetur. Servo garrulo ad silentium redacto decet domi-

num, quem uni rei ipsi servientem omnesque removentem ambages videmus, disputationem serio institutam serio et absolvere. Nunc ad superiores illos versus accedimus, qui quidem in codicibus Chremylo attribuuntur:

160.) τέχναι δὲ πᾶσαι διὰ σὲ καὶ σοφίσματα
161.) ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισίν ἐσθ' εὑρημένα·
162.) ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν σκυτοτομεῖ καθήμενος,
163.) ἕτερος δὲ χαλκεύει τις, ὁ δὲ τεκταίνεται
164.) ὁ δὲ χρυσοχοεῖ γε, χρυσίον παρὰ σοῦ λαβών,
165.) ὁ δὲ λωποδυτεῖ γε νὴ Δί', ὁ δὲ τοιχωρυχεῖ,
166.) ὁ δὲ γναφεύει γ', ὁ δέ γε πλύνει κῴδια,
167.) ὁ δὲ βυρσοδεψεῖ γ', ὁ δέ γε πωλεῖ κρόμμυα,
168.) ὁ δ' ἁλούς γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται.

In hac parte diiudicanda quam rationem sive potius num omnino aliquam rationem secuti sint critici plane ignoro. Nam aut omnia haec mirum sane in modum confusa erant attribuenda Chremylo una cum codicibus, aut, si omnino altera persona requirebatur, Chremylus erat putandus severam sinceramque habere orationem, Carioni erat dandum quicquid ludibria et iocos redolebat. Harum rationum neutram secuti critici Chremylum faciunt modo serio modo iocose, itemque Carionem modo ad rem pertinentia, modo „a parte" loquentem. Vides alium aliter distribuentem neque esse omnino in hac particula ullum versum, qui quod de se nondum sit dubitatum, aegre ferat. Et tamen nil facilius est diiudicatu hoc ipso loco, modo memineris earum, quas saepe iam descripsimus, partium.

Chremylos probat thesin suam, quasi omnia a divitiis pendeant, quattuor exemplis, primo sutoris, secundo ferrarii, tertio fabri, quarto aurarii, omnia satis serio haec ille. Iam et Pulcinella duorum hominum meminit, qui studio auri trahantur, lopodytae et toichorychi, de quibus et Euelpides Avium usu ipso doctus questus erat inter-

locutione quadam. Dominus nil curans eironem pergit exempla proferre fullonis, lotoris, coriarii, cauponis. Attamen iam iterum taedet Carionem morositatis domini, qui inserit:

ὁ δ' ἁλοὺς γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται,

in quo versu mutando non debuit Velsen Valckenarium sequi. παρατίλλεται οὖν, φησί, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι χρήμασι λυτροῦσθαι τὴν πυγήν. (scholia.)
Vides in ridiculum verti argumentationem domini a Carione, qui tota illa, qua fruitur cogitatione, utpote vere Arlequino circa duos quasi axes vertitur, quorum alter venter est, alter penis quoque is utitur supplemento.

Ultro ad nos accedit auxilium in observato usu orationis ipsius bomolochi, quo eo plus gaudemus, quo maiorem scimus merito attribui fidem alicui sententiae de textu constituendo prolatae hac ipsa ratione. Evadit enim Pulcinella saepe suam bomolochiam adiungens ita, ut addat νὴ Δία vel tale quid. cf. Pluti. 134. 165. 287. 685, 863, 1021, Nubium 372, 388, 407, 483, 652, 667, 1234. Facile parabitur moles quaedam mille exemplorum, quibus illud νὴ Δία quasi ex armamentario Pulcinellae sumptum probetur. Eodem modo et in versu 165 irrumpit in orationem domini. Est omnino oratio ipsa bomolochi plane singularis eademque ab usu loquendi ceterarum personarum aliquo modo seiuncta, ita ut requirere videatur, qui accuratius eius rationem sibi proponat indagandam, quam quaestionem autem hic semitactam quasi relinquimus, ne haec nostra disputatio suo ipsius pondere labatur.

Versum 625 huius dramatis parabasis si omnino instituta fuisset, secuta esset. Jam servus onus prologi accipit (627 - 770), qui necessario desiderabatur in eis scenis dissolutis, quibus pars posterior consueto more continetur,

e quibus, sicuti et alibi, nil de argumento ipso comperias. Narrat igitur servus, quomodo oculis dei sit medela parata, neque tamen et hic suarum immemor singularium partium, e quibus unum eligo exemplum παρ' ὑπόνοιαν dictum: 737.) καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα
ὁ Πλοῦτος, ὦ δέσποιν', ἀνεστήκει βλέπων.

Nam ad dominam oratio haec spectare fingitur, quae tamen omnino nullius praeterea in fabula momenti est neque ullo alio consilio inducitur, nisi ut habeat prologus alterius partis, cui proponatur. Accedunt autem iterum illae personae, quas iam ex Acharnensibus, Nubibus, Vespis, Avibus novimus: δίκαιος ἀνήρ, συκοφάντης, γραῦς, νεανίας, Ἑρμῆς, sacerdos Iovis, qui omnes consueto more depelluntur. Mire autem hic et satis memorabiliter illud accidit, quod et servus et dominus in eis irridendis versantur, nunquam sane una eademque scena coniuncti illi, sed alter alterius subiens munus. Utimur autem iterum notatione quadam personarum ad summam perturbationem progressa. Haec autem mihi quidem probata esse videntur in hac quaestione quam alius aliter diiudicat codex, alius et aliter editor, et dominum et servum esse participem bomolochiae huius partis. Nam Mercurium videmus (v. 1100) a Carione, sacerdotem Iovis a Chremylo ipso (v. 1171 sqq.) irrideri. De his duabus particulis omnino non poterat dubitari. Omnes autem illae aliae scenae a quo instituantur bomolocho, hoc certe loco non diiudicarbimus. Ratio autem bomolochiarum et hic ne minima quidem ex parte distat a consueto more.[14])

---

[14]) Talis cuiusdam bomolochiae unum interpretabimur exemplum ne a scholiastis quidem illis et in rebus obscoenis enucleandis optima eruditione et mirabili sagacitate praeditis perspectum.

966. Illa anus vetula pruriens compellatur;

Ultra Plutum progredi non licet, cum ex fragmentis quaevis alia, bomolochi certe personam non eruere possis. Nihilo minus his ipsis temporibus putanda est persona bomolochi, in Aristophaneis fabulis constantissima certe, in attica comoedia evanuisse, ita ut in palliata Romana, qua nobis indoles novae, quae vocatur, comoediae graecae significatur, tales partes aut omnino non aut exiguis reliquiis servatae inveniantur. Attamen iam e fabulis servatis licuit nobis effigiem satis variam huius singularis personae enucleare, de cuius munere certantes vidimus servum et ἀγροῖκον Aristophaneos, ita ut labatur haec persona quamvis natura sua ipsius constantissima, fluxu quodam. Agit enim Pulcinella scenam quandam quasi in scena. Ut autem singuli gradus quasi rationis Aristophaneae in hac adhibenda persona accuratius uno quasi obtutu percipi possent, adiecimus tabulam quandam, qua notata ea invenies, quae nobis videmur probasse. ἀγροῖκον intellegimus illam personam primari-

---

τί δ' ἔστιν; ἦ που καὶ σὺ συκοφάντρια
ἐν ταῖς γυναιξὶν ἦσθα;

Latet hic spurcitia quaedam, quamvis sycophantae paulo ante vetulam fugati mentio fiat. Quid sit σῦκον docet Pacis versus 1350 sqq.

τοῦ μὲν μέγα καὶ παχύ,
τῆς δ' ἡδὺ τὸ σῦκον.

quid συκάζειν, Strattidis frgt. 3 K., quid denique συκοφαντεῖν Platonis frgt. 255. K. συκοφαντεῖν παρὰ Πλάτωνι καὶ Μενάνδρῳ οἷον κνίζειν ἐρωτικῶς. Κνισμός autem est, ut loquamur verbis scholiorum Pluti (970), ἡ πρὸς τὴν μῖξιν βακχεία καὶ πύρωσις. Iam cognosces, quam male hic cum matrona illa agatur:

ἦ που καὶ σὺ συκοφάντρια
ἐν ταῖς γυναιξὶν ἦσθα; vetula: μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὐκ.

am, quo quasi vinculo tota fabula cohaeret. Blepyros certe non huic ordini erat adscribendus, cum partes secundarias agat. Itaque eum comitem significari vides in modum omnium illorum, qui satellites aut domini aut sodalis suas bomolochias inserunt, inter se ipsos vix diversi.

	pars prior fabulae	pars posterior fabulae
Acharnenses	ἀγροῖκος	ἀγροῖκος
Equites	servus	ἀγροῖκος
Nubes	ἀγροῖκος	ἀγροῖκος
Vespae	servus	ἀγροῖκος
Pax	—	ἀγροῖκος
Aves	comes (Euelp.)	ἀγροῖκος (Peithet.)
Lysistrata	comes	—
Thesmophoriazusae	comes (Mnes.)	—
Ranae	servus	ἀγροῖκος
Ecclesiazusae	comes (Blep.)	comes (Blep.)
Plutus	servus	servus et ἀγροῖκος

Huius seu servi seu comitis partes augeri vides, illius ἀγροίκου minui. Posteriorem partem sibi ἀγροῖκος primarum partium quasi adyton per multos annos servavit, et tamen in eam duabus in extremis fabulis irrepere videmus et illam secundariam personam. Hoc ne forte factum esse putaveris.

Quo plus enim comoedia in formam Plautinam Terentianamque abiit, argumentumque unius fere familiae factis, amoribus, odiis continebatur, eo plus et ille apud Aristophanem copiosissimus index personarum evanuit in gratiam paucarum accuratius fortasse depictarum atque

astrictioris oeconomiae, ut ita dicamus, dramatum. Vix iam habuit pater familias, quem irrideret neque iam sibi vindicavit modo illam severam dignitatem modo illud „desipere in loco." Servus bomolochus, cui cum sene adhuc de partibus Pulcinellae in modum divinorum illorum gemellorum convenerat, in mimis totius antiquitatis viguit.

Duabus adiectis adnotationibus his partibus Pulcinellae plus etiam lucis afferemus.

I.) Cognovimus Pulcinellae ori saepissime prologum mandari, quem nonnullis locis in parabaseos fere rationem abeuntem vidimus, sicuti in prologo Vesparum, Equitum, Pacis. Erat et illa persona utpote ab argumento ipso seiuncta dignissima, quae hoc munus susciperet. Nunc et intellegimus, quomodo factum sit, ut in Acharnensibus Dicaeopolis duobus locis plane pro poëta loqueretur (366-384, 496-556). Nam in ea, quae Pulcinellae erat cum choro similtudine, haec persona praeter alias digna erat, quae talis parabaseos munus susciperet. Attamen cur hoc non chorus? Videtur mihi ex hac natura Pulcinellae Aristophanei in prima fabula servatarum notata, postea deleta illud gravissimum concludi debere chorum comodiae Atticae extrinsecus in mimum irrepsisse, quam sententiam iam protulit Bethe, alia sane ille disputans ratione. Nam siquidem a primis exordiis comoediae graecae poëtis licuisset choro uti quasi tubo vocem referente, non ei opus fuisset nova quadam ratione parabaseos instituendae.

Cum ars non habeat, cur unum munus duobus attribuat, non dubitari potest, quin haec contaminatio nobis aliquam ad enucleandam progressionem comoediae graecae ansam det. Omnino si quidem rem „a priori" quasi perspicies omnibus abiectis opinionibus praeiudicatis, chorum concedes esse eum, qui natura sua ipsa offerebatur

quasi bomolochus, sua interlocutione aspirans personis scenicis. Attamen, cum iam inesset in mimo, qui partes has τοῦ παραφθεγγομένου ageret, chorus in alium usum conversus est. De iure pro poëta ipso loquendi primum quidem inter hos duos certatum est, donec sibi chorus hoc parabaseos instituendae munus vindicavit.

II.) Sequatur altera quaedam adnotatio de natura partium Pulcinellae. Exitus enim uniuscuiusque fabulae Aristophaneae singulari quodam modo significatus est ita, ut hic coena quaedam ab eo instituatur, qui adhuc partes bomolochi egit. Viget autem hic et illud Catullianum „haud sine candida puella.“ Inesse in hoc usu mihi videtur vetustissima quaedam forma comoediae, sicuti iam Epicharmus Ἥβας γάμον descripserat i. e. ingentem quandam coenam nuptialem. Aristophanea propono exempla haec: In Acharnensibus exeuntibus coena instituitur et symposion ab illis Lamachi tumultibus et periculis alienissimum, in quibus et Veneri locus conceditur. Nam in miro illo parallelismo membrorum, quem subeunt versus Lamachi itemque Dicaeopolidis, legas et haec:

1214) Lam.: λάβεσθέ μου, λάβεσθε τοῦ σκέλους, παπαῖ·
προσλάβεσθ', ὦ φίλοι.
Dic.: ἐμοῦ δέ γε σφὼ τοῦ πέους ἄμφω μέσου
προσλάβεσθ', ὦ φίλαι.
Lam.: ἰλιγγιῶ κάρα λίθῳ πεπληγμένος
καὶ σκοτοδινιῶ.
Dic.: κἀγὼ καθεύδειν βούλομαι καὶ στύομαι
καὶ σκοτοβινιῶ.

In Equitum exitu Demos optime cibo instructus et in puncto puncti recreatur:

1384) ἔχε νῦν ἐπὶ τούτοις τουτονὶ τὸν ὀκλαδίαν
καὶ παῖδ' ἐνόρχην, ὅςπερ οἴσει τόνδε σοι.
κἂν που δοκῇ σοι, τοῦτον ὀκλαδίαν ποίει.

Arcessit et allantopola mirum in modum salutis patroni ratione habita τὰς τριακουντίδας σπονδάς, quas tibi in ea, qua tota fabula Equitum imbuta est, allegoria fingas hetaerides, Iam Demos gaudio elatus

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ', ὡς καλαί, πρὸς τῶν θεῶν
ἔξεστιν αὐτῶν κατατριακοντουτίσαι;

In versibus 1344 sqq. Vesparum Philocleo una cum auletride quadam convivio peracto domum petit neque in desideriis prolatis ullo modo a Dicaeopolide distat:

τῇ χειρὶ τουδὶ λαβομένη τοῦ σχοινίου
ἔχου. φυλάττου δ' ὡς σαπρὸν τὸ σχοινίον· sqq.

In exitu Pacis nuptiae Trygaei cum Pace institutae a choro celebrantur, quo loco neque obscoenitati neque edendi bibendique mentioni ullo modo parcitur. Plane eodem modo in exitu Avium Pulcinella epulas praeclaras parat et λέχος γαμήλιον, quo eum basilia Iovis dignatura est. In fine Ranarum occurrunt versus hi Plutonis:

χωρεῖτε τοίνυν, ὦ Διόνυσ' εἴσω. Dionys.: τί δαί;
Pl.: ἵνα ξενίσω 'γὼ σφὼ πρὶν ἀποπλεῖν
Dionys.: εὖ λέγεις,
νὴ τὸν Δί' οὐ γὰρ ἄχθομαι τῷ πράγματι.

Quid sit, cur haec verba ad Dionyson conversus dicat Pluto, non iam amplius quaeres.

In Ecclesiazusarum exitu omnes iam coenae donis fructi esse dicuntur, unico excepto Blepyro, illo ipso, qui antea contenderat se nullo temporis iam intermisso spatio ad epulas properare. Haec aporia facile intellegitur ex eo, quod Blepyros utpote Pulcinella in fine coenaturum sese praebeat necesse est.

Neque autem dibitari potest, quin lateat hic consuetudo quaedam scenica cum partibus bomolochi arte coniuncta, quae ita explicetur necesse est, ut Pulcinella illas duas virtutes, quibus praeter alios excellit, quarum e provinciis

et materiam suarum bomolochiarum sibi quaesiverat, coniunctas quasi praestet in exitu uniuscuiusque fabulae itaque suam ipsius naturam voracem, vinolentamque eandemque et obscoenam denuo probet. Haud sane forte factum est illud, quod apud omnes fere gentes nomen singulare sibi trahat Pulcinella ex eo cibo, qui ab illa gente in deliciis habetur. Hoc modo exorta sunt nomina Faba mimus, (cf. Pulcinella Dieterichii p. 277) Maccus cf. ibidem p. 89 sqq.), Hanswurst, Jean Potage, Jack Pudding, Pickelhäring, multa denique alia.

In fine huius de Pulcinella Aristophaneo disputationis propono has theses, quas mihi videor probasse.

Thesis prima) Vetustissima forma comoediarum Aristophanearum mimo quodam populari continetur, in quo persona quaedam eo munere, quod Pulcinellae proprium putare consuevimus, praedita varias per scaenas perducitur, varias et in personas incidit, quas misere irrisas ludibriisque obrutas plagis denique depellit. Huius et est Pulcinellae, prologo quodam argumentum pronuntiare idque ratione quadam mimo consueta. Hunc in modum composita est fabula Acharnensium itemque, quamvis aliquo modo iam mutata, fabula Nubium. Indicant et omnes fere ceterae comoediae matrem eo, ut in altera certe parte dramatis varias illas inducant personas irridendas atque a persona primaria depellendas.

Thesis secunda) Alter quidam gradus duobus servis Aristophane ipso teste Megarico ludo consuetis significatur, quorum alter est mere protaticus, alter et in prologo argumentum pronuntiat et in priore parte fabulae quamvis tenui filo cum re ipsa coniunctus Pulcinellae partes agit. Haec est species Equitum, Vesparum, Pacis.

Thesis tertia) Tertia quaedam ratio coniungit illas duas priores ita, ut faciat iam ab initio fabulae personam quandam primariam cum comite scenam adeuntem.

Sic contextus fabulae multo evadit adstrictior. Ille, quem dicimus comitem, argumenti fabulae rationem in prologi reddit idemque bomolochi munere per priorem partem fungitur, cum tamen persona primaria illa, quam significavimus, posteriorem partem sale bomolochiae perfundat.

T h e s i s q u a r t a) Bomolochia Pulcinellae ipsa ita est comparata, ut praeter fabulae necessitatem orationem in partem ridiculam deflectat aut parerga iocosa, nonnunquam in ambitum narratiuncularum aucta adiungat, respiciatur autem vix unquam; ita ut eam „a parte“ plerumque esse prolatam acceperimus. Materiam ipsam τοῦ παραφθέγγεσθαι sibi quaerunt haec mira scholia ex cupiditate edendi bibendique aut aliis ex rebus vilibus magnopere ab illis sublimibus, ad quas adiungi solent, diversis. Saepe et meris spurcitiis continentur.

T h e s i s q u i n t a) Duplex praeterea Pulcinellae dos est: primum, ut per eum nonnunquam poëta pro domo, ut dici solet, loquatur atque in parabaseos modum orationem deflectat, qua natura evadit chori rivalis, cum quo non potest a primis primordiis coniunctus fuisse, deinde ut ipse peracta fabula coenam sibi paret haud sine candida puella.

V. Senex (Pantalone)

Mirum in modum contigit nobis usque ad hunc locum itineris instituti progredientibus, ut quas primarias esse apud veteres cognovimus personas, in eisdem et iterum inveniremus esse positam summam argumenti ipsius seu risus in fabulis popularibus Italorum, unde omnium fere gentium recentioris aetatis adierunt scenas haud sine glo-

ria militaturae. Potest igitur optimo iure contendi in alazonia seu militis seu scholastici contineri unam quasi radicem risus omnium et gentium et temporum neque deesse unquam aequipondium quoddam in altera quasi lance trutinae positum, ne turbetur aequa ratio fabulae. Et hoc ipsum praestari persona Pulcinellae cognovimus, in quo vis comica ipsa quasi incarnata est. Accedit autem et alia quaedam persona in ludis Italorum ad fabulam agendam: Efficiunt et scholasticus (dottore) et alazon miles (capitano) et bomolochus (Arlequino) et Pantalone τετρακτύν quandam παγὰν ἀενάου φύσεως ῥίζωμα τ' ἔχουσαν Est autem haec quarta persona senex palliatae fere idemque et comoediae novae atticae consuetus. Qui num et in fabulis Aristophaneis vigeat, quaeremus, cum antea aliquam certe huius personae effigiem adumbraverimus.

„Nomina personarum in comoediis dumtaxat habere debent rationem et etymologiam.“ (Donatus ad Ter. Ad. 1.) Plautus et Terentius in universum eam sequuntur rationem, quae est ad usum novae comoediae revocanda, ut minime sane dent nomina personis „incongrua“ neque tamen a consuetudine vitae cotidianae recedant. In his nominibus ad singula genera personarum significanda certas radices usui esse satis notum est, sicuti verbum φιλεῖν ad meretricum (Philematium, Philotis, Pamphila etc.) χαίρειν ad iuvenum (Chaerea, Chaeribulus). Talem radicem et ad nomina senum eligenda exstare voce δῆμος nondum satis notum esse videtur. Probatur autem mihi illa opinio his exemplis.[1])

1) Demaenetus (Asin.) 2) Menedemus (Heautont.) 3) Demipho (Cistell. Merc. Phorm. Theopompi frgt. 43 K.)

---

[1]) Materiam nominum Plautinorum congessit atque lustravit C. Schmidt. Herm. XXXVII. 173 sqq. 353 sqq. 608 sqq.

4) Demea. (Adelph. Men. Stat. Caec. Alex.) 5) Demarchus. (Poen.) 6) Lysidamus (Merc.) 7) Archidemides(Bacch. Eun.) 8) Archidemus (Asin.) 9) Demones (Rudens). Forte hoc factum esse, ut senex hac radice nominum gauderet, iuvenis exempli gratia plane ab ea abhorreat, nemo putabit, nisi forte et illas Philotides et Chaereas forte quadam nomina accepisse censes. Videtur autem mihi in hoc δῆμος inesse notatio ruris, ad quam sententiam affero Arist. poët. art cap. III (1448a) αὐτοὶ (scil. Peloponnesii) μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν, Ἀθηναίους δὲ δήμους. Praeterea cf. Isocr. areop. 149 A., qui in interpretanda lege quadam loquitur διελόμενοι τὴν μὲν πόλιν ἀνὰ κώμας, (cf. vocem vici) τὴν δὲ χώραν ἀνὰ δήμους, Herod. I. 170 denique: τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκημένας μηδὲν ἕσσον νομίζεσθαι, κατάπερ εἰ δῆμοι εἶεν.

Creberimum autem senum nomen Chremes est, (Phorm. Heautont. Andr. alibi) ad vocem χρέμπτεσθαι illud revocandum, quod non modo in epistulas Alciphronis et Aeliani, sectatrices comoediae novae, irrepsit, (Alc. I. 29. 5. Ael. ep. rust. 19) sed et in proverbii fere usum venit.Hic una cum Pheidone, nomine senis utpote parci, quasi typus scaenae comicae primarius nominatur in versibus quibusdam scitis, quibus Antiphanes comoediam multo difficiliorem esse et excogitatu et actu exponit quam tragoediam (frgt. 191 K).

ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται,
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστιν καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

Poëtis posteriorum temporum nomina comoediae quasi parata iam materia praesto erant, quae accuratius quam multa verba mores depingerent. De Pheidone cf. Anth. Palat. XI, 170. Alc. III, 34,3.

Naturam ipsam senis comici qui sibi proponit adumbrandam, offenditur iam primo obtutu duplici quodam vultu, quem prae se fert ille senex, qui sitne rusticus an urbanus non diiudicari potest, cum tamen aliae personae urbi corporibus atque animis adhaereant, nam quid parasitus agrestis, meretrix rustica, quid denique iuvenis a gaudiis urbis remotus?

Laches senex Heautontimori Terentii de se ipso haec verba facit (971 sqq.):

„Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri, commuto locum."

Similiter de se Laches Hecyrae (v. 215 sqq.)

Senem illum ipsum sese cruciantem videmus ineunte fabula operibus rusticis sese implicare. Sic et intellegitur, quomodo servis urbanis semper sit verendum, ne in pistrinum dentur familiaeque rusticae adscribantur. Urbani cuiusdam servi cum rustico collega institutum certamen satis scite fingitur in ineunte Mostellaria. Nihilominus autem saepius eosdem senes et mercaturam facientes videmus negotiisque contrahendis sese implicare. In Mostellaria, ut hoc tantum afferamus, argumentum eo continetur, ut senex diutius in Aegypto negotiorum curandorum causa moratus subito revertatur filiumque haud ita optimo sodalicio utentem inveniat. Illi ipsi ut verba dentur seni, Tranio servus primum mentitur filium ruri in praedio esse. (917). Cum hac natura senum, qua sese ab omnibus ceteris personis iam praestant diversos, iam supra convenientem invenimus illam rationem, quae comicos iussit nomina ea senibus adiungere, in quibus radix δῆμος inerat. Fluere bene enim videbatur ex ista aliquo modo rus redolente natura senis quicquid et consueto usu scenico senum proprium esse significabatur: morositas ingenii, parsimonia, truculenta denique quaedam saevitia

morum. Demea Adelphorum haud inepte de se (Ad. 866):

„ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax."

Haud forte factum est illud, quod saepius senex iam tum, cum primum omnino in fabula quadam scenam adit, saevissima ira in quendam invehens fingitur. Sic in Aululariae iam primo versu Euclio vehementissime in Staphylam ancillam invehitur, sic et ex Demeae ore nil prius audimus quam iracundiae specimen copiosissimum (I. 2) Versatur autem senis ira praecipue in iuvenibus eorumque amoribus. Optimo igitur iure in Alciphronis epistula 29 libri III meretrix quaedam suspicatur se, si illi cum Menandro poëta comico simultas aut discidium oriatur, ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὑπὸ Χρέμητός τινος ἢ Φειδύλου πικρῶς λοιδορεῖσθαι, quae verba iterum Chremetem et Pheidonem nomina quasi consuetissima senum praebent. Commode autem hac in quaestione in prologum Heautontimorumeni incidimus, ubi poëta gloriatur, quod novam quandam consuetis typis non obnoxiam fabulam proferat, „ne semper servus currens, iratus senex, edax parasitus, sycophanta autem impudens, avarus leno assidue agendi sint mihi." Hic apertis verbis consuetis personis comoediae inseritur et iratus senex. Attamen vereor, ut hoc hic addamus, ne omnino non a consueto typo recesserit poëta in depingendo illo Heautontimorumeno. Nam primum quidem haec fabula nititur quasi fundamento plane consueto argumento fabularum Terentianarum: Pater in filium amore puellae cuiusdam captum nimis severum se praestitit cf. v. 99. sqq.

Ubi rem rescivi coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
tractare, sed vi et via pervolgata patrum.

Hanc et de eis moribus profert opinionem Syrus servus:

Sed habet (scil. erilis filius) patrem quendam avidum

miserum atque aridum.

Cum tamen alibi senex variis techinis vincatur, hic illud singulariter contingit, quod senex depulso ex patria iuvene de sua ipsius pristina saevitia queritur. Morositas, qua alibi ceteri premuntur, hic in senem ipsum conversa est. Nulla igitur linea a consueta morositate recessit, praesertim cum et alii senes comici evadant Heautontimorumeni. Et alibi in fabulis ipsius huius senis quasi typi comici mentio fit consueta quadam poëtis comicis ratione illa, ut eam simulationem, qua scena res quasi veras fingit, subito deleant:

In Mostellaria (vers. 1137) legimus haec

Dicta eis (scil. amicis) quo pacto tuos te servus ludificaverit,
optimas frustrationes dederis in comoediis.

Eodem modo et Caecilii Statii fragmentum quoddam intelegendum est (pag. 74 R.)

Ut me hodie ante omnes comicos stultos senes
versaris atque elusseris lautissume.

Morositas autem senis non modo ad meretrices et filios spectat, sed et, illorum si obiurgandorum occasio non datur, in uxores irrumpit. In Hecyra e. gr. saepissime Lachetem videmus in Sostratam uxorem invehentem. Sed hoc quidem — dixerit quispiam — in fabula ipsa positum est. Obtinet enim plane singularem quendam locum Hecyra in eo, quod hic uxor senis arte cum argumento fabulae cohaeret. Omnibus autem fere in aliis comoediis de uxoribus nullo modo res agitur. Eo maioris est momenti observari et hic semper quoddam senis cum uxore discidium nullo vinculo cum fabula ipsa coniunctum, sed consueto more quasi extrinsecus illatum. Omnium autem temporum comici satis exiguam curam foederi coniugiali firmando dederunt, immo gavisi sunt rixis inter coniuges exortis. Neque et ab hac

quasi regula comicae artis recesserunt poëtae novae comoediae graecae. Chremes Phormionis veretur, ne ab uxore excutiatur ipsique sit domus relinquenda, (585 sqq.) neque est, cur fidem illi denegemus. Nam Nausistrata ipsa postea vehementissimis obiurgiis coniugem petit. (790 sq.) Megadorus (Aul. 147) a sorore iussus uxorem ducere primum clamat: Ei, occidi, tum: sed his legibus si quam dare vis, ducam: quae cras veniat, perendie foras feratur. Demea Adelphorum (867) queritur de sua fortuna: „Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi." Trinummi secunda scena actus primi referta est iocis acerbissimis in uxores missis. Omnibus his locis, quos ad augendos haud ita magna opera opus est, nullo modo potest intellegi, quidnam sit in argumento ipso positum, quod ad uxorem spectet aut quidnam spectatorem de uxore certiorem factum esse iuvet. Sed potius consuetus typus senis voluit talia hic illic proferri.

Morositatem senis autem poëtae nonnunquam quasi principem senis naturam iam titulo ipso fabulae notaverunt. Scripsit enim comoediam, quae inscribitur Δύσκολος Mnesimachus, scripsit et Menander.

Attamen hic dignissimum est, quod attendatur, illud, quod hic non alius quidam singularis senex partes agit, sed plane idem, nisi quod morum saevitas, a nullo sene scenico aliena, aliquanto plus, quam fieri alibi solebat, quasi in medio fabulae ipsius ponatur. Accipimus enim et de Mnesimachi et de Menandri fabula fuisse dyscolon eundem et avarum, id quod non minus quam illam, de qua egimus, truculentiam in intimis medullis huius personae haerere infra videbimus. (De Menandri Dyscolo cf. inprimis frgt. 128 K. huius poëtae, de Mnesimachi Athen. VIII 359 c.)[2])

[2]) Nominatur et Dyscolos quidam inter titulos fabularum Plautinarum perditarum. Irati senis quasi consueti typi

Eodem modo et illud cum uxore discidium quasi primarium thema quarundam fabularum fuit, e quibus nominamus Misogynam Menandri, in qua fabula iterum et notatio avaritiae inerat, cum hic senex, qui alibi in sumptu filii offendit, luxuriam uxoris obiurgans fingitur. Scripsit misogynon quendam et Atilius palliatarum quidam scriptor Romanus, de qua fabula cf. Cic. Tusc. disp. IV, 11,25.

Ut autem ad illam iam saepius notatam avaritiam transeamus, omnes eae fabulae, quae quasi personam primariam avarum quendam in scenam introducunt, non putandae sunt plane novam quandam sibi finxisse personam, sed nil fecisse, nisi ut illam avaritiam consueta ratione scenica seni attributam dilucidiorem fortasse, quam alibi argumentum fabularum tulit, describerent in persona plane sollemni illa semiagresti atque truculenta. Sic et Demea se ipse notaverat (Ad. 866) agrestem, saevum, tristem, parcum, truculentum, tenacem. Dicimus autem fabulas satis multas, Aulularìam Plauti, Thesaurum Diphili, Anaxandridis, Menandri, Archedici, Dioxippi, Philargyron Dioxippi, Philippidis, Cratetis, Phasma seu Philargyron Theogneti. Avaritiam senis demonstrat praeterea nomen Pheidonis, de quo iam actum est, argumentum denique satis multarum fabularum, quod saepe eo nititur, ut pater in amoribus filii offendat pecuniae ratione habita. Sic et Donatus ad Phormionis versum 69: Necessaria erat ad fabulae περίστασιν avaritia Demiphonis, ut maiore periculo illo absente duxerit filius indotatam, idemque ad versum 678 eiusdem fabulae: non desinit poëta ostendere avaritiam Demiphonis, qui nec ideo libenter fert dari aliquid Phormioni, quia sic commodum ei est. Theoproprides Mostellariae senex hanc quasi rationem vivendi profert (785 sqq.)

---

mentio fit praeter eos locos, quos iam commemoravimus, et versu 988 Amph.

„Lucri quicquid est, id domum trahere oportet,
misericordia stulta haud esse hominem oportet."

Ex omnibus fabulis possent loci acervatim aggeri de senis avaritia.

Nos sequemur Horatium, comoediae illum non immemorem: (epod. I. 33.)

„haud paravero,
quod aut avarus ut Chremes terra premam
discinctus aut perdam nepos."

In mimo et Atellana fabula Romanorum eandem viguisse consuetudinem scenicam paucis verbis probare liceat. Ex restione Laberii fragmentum quoddam nobis servatur a Gellio (N. A. X 17) pag. 219 R., quo persona — affero verba Gellii ipsius — „divitis, avari et parci, sumptum plurimum adulescentis deplorantis" splendore pecuniae sibi aciem oculorum „elucificare" vult, ne „in re bona" esse videat „nequam filium." Pappum illum senem Atellanae osce nominatum fuisse casnarem, id est senem, accipimus ex Varrone (de l. l. VIII pag. 315 ed. Spengel. Est et hic

a) rusticourbanus.

In Pappo agricola quaeritur (R. p. 240).

volo scire ex te cur urbanas res desubito deseris.

Habemus igitur rivalem quendam illius Lachetis senis Hecyrae modo rus modo urbem petentem.

b) avarus.

De pecunia comparanda saepius in fragmentis verba fiunt. Praecipue nominetur Philosophia Pappi, quae fabula Aululariae non fuisse videtur dissimilis in eo, ut et hic in „auro ablato" res versetur. Exstat et titulus cuiusdam mimi Noviani „Parcus."

c) truculentus atque cum filio de nuptiis altercans.

Scripsit Pomponius Dotatam, Dotatam et Novius. Hic et virginem praegnantem. Vides rationem et indolem Atel-

lanarum vix a palliatarum distare.

Aristophani igitur quidnam cum tali persona commune sit, quaeritur.

Apparet in ius vocandos atque censuram esse omnes illas personas, quas ἀγροίκους nominare consuevimus quasque iam, cum de Pulcinella Aristophaneo ageremus, certo quodam consilio petivimus. Meminerimus hic personam Pulcinellae agi nonnunquam ab agroeco illo ita tamen, ut non totus circulus, (si quidem adumbramus rem more logicorum) quo ἀγροῖκος notatur, expleatur hoc munere, sed restet potius aliqua pars intacta. De hac hic est agendum, de sene Aristophaneo Pulcinellae partibus detractis. Sequimur autem et hic idem iter, quo et supra usi sumus.

Nominum Aristophaneorum sunt tria genera, primum eorum, quae ex vera vita deprompta sunt, alterum eorum, quae ad unam certam personam ficta sunt, sicuti Bdelycleo, Dicaeopolis, Pyrgopolinices denique Plautinus,[3]) tertium eorum, quae rationem mimi comoediaeque novae praebent. Habent sane et illa, quae ad genus secundum revocavimus, „rationem et etymologiam," attamen ab usu cotidiano plane sunt aliena. Itaque hic in tertio genere, quod sane et exstat in fabulis Aristophaneis quamvis vix satis observatum, unico versamur.

Satis autem dignum est, quod attendatur, neque ullo alio modo nisi constanti quodam usu scenico explicandum illud, quod scena Aristophanea non praebet viros mediae aetatis, sed semper aut senes aut adulescentes.

Senes sunt Trygaeus, (cf. Pacis vers. 860) Peithetaerus, (Av. 1256) Mnesilochus, (Thesm. 941) Blepyrus, (Eccl.

---

[3]) Nominibus hac ratione proprie fere Aristophanea fictis septima tantum pars Plautinorum continetur. cf. K. Schmidt, Hermes XXXVII 624.

323) Philocleo, (Vesp. 178) Chremylus, (Plut. 1067) Strepsiades, (Nub. 129) Demos, (Equ. 61) Dicaeopolis, (Ach. 397 et 1130).

Optimam nobis modo ansam dedit typorum quidam catalogus Terentianus, cui et insertum legimus iratum senem. Similes catalogi personarum constantium et in Aristophaneis quibusdam fabulis exstant, qui quam sint pretiosi ad cognoscendum usum scenicum, vix verbis dici potest. Atque hic quidem contingit, ut et noster senex nominetur typus ab Aristophane consuetus, quem sane a sua arte alienum esse putat. Qua sit autem fide dignus Aristophanes disputans contra rivalium rationem tritam a sua alienissimam quasi, iam supra exemplo duorum illorum servorum cognovimus. Ranarum initium pugnat contra ridiculas ineptias rivalium nulla alia re nisi talibus ineptiis ipsis. Eleganter iam scholia hoc perspexerunt ad locum illum ipsum Nubium, quem hic dicimus, atque compluribus exemplis probaverunt: ἰστέον ὅτι πάντα, ὅσα ἂν λέγῃ, εἰς ἑαυτὸν τείνει. Agimus autem de versibus his (Nub. 541 sqq.)

οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς, οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν
οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα.

Quid aliud est, quod ex his versibus evadat, nisi senex morosus baculo feriens consuetas inter personas numeratus antiquae scenae Atticorum, quem si et Aristophani vindicaverimus, nostro proposito satis fecisse putandi sumus.

Memineris hic necesse est illius descriptionis, quam de sene palliatae supra conscribere conati sumus. Eandem hic lineam de linea sequentes ad fabulas Aristophaneas revocabimus.

Ac primum quidem nomine ἀγροίκου senem Aristophaneum haud satis recte notamus, cui potius sit eadem du-

plex natura, quam supra iam in palliata diiudicanda fabula perspeximus.

Strepsiades ἀγροῖκος ὢν ἐξ ἀστέως mulierem duxit. Demo ipsi, merae allegoriae illi plebis Atheniensium, suadetur a isiciario, (Equ. 1394) ut spondas secum abducat εἰς ἀγρούς, ubi praedium habere putandus est. Philocleo denique in urbe ipsa, quam praeter omnes in deliciis habet, rebus rusticis addictus est. Infertur enim (vers. 844) χοιροκομεῖον quoddam ἀντὶ δρυφάκτων. Nihilo minus dubitari potest, num temporibus Aristophaneis aliqua certa ratio huic rei infuerit. Tum enim in ea natura, quam Athenae ex temporibus illius ξυνοικισμοῦ a Theseo rege instituti servabant, praecipue in rebus adversis belli Peloponnesiaci, quibus multi agricolae diu in urbe morari cogebantur, re vera civis Atheniensis speciem illam rusticourbanam prae se tulit. Posteri quam bene hanc rem in suum usum verterint, supra perspeximus, quo loco et radici δῆμος cognovimus inesse notationem ruris. In nomine autem alterius senis Pluti inest consueta vox δῆμος: Blepsidemus. Sic et hac ex parte intellegitur, quam bene sit instituta allegoria Equitum, cum nomen senis hic sit δῆμος.

Persona senis temporibus Menandreis non potest scenam adire nisi avara neque — hoc hic addimus — et persona Aristophanea senis.

Nubium prologus subito perturbatur embolimo quodam, quod tamen ad rem nihil facit.

Servus: ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν τῷ λύχνῳ
Strepsiades: οἴμοι· τί γάρ μοι τον πότην ἧπτες λύχνον;
δεῦρ' ἔλθ', ἵνα κλάῃς. Servus: διὰ τί δῆτα κλαύσομαι;
Streps.: ὅτι τῶν παχειῶν ἐνετίθεις θρυαλλίδων.

Tum pergitur in prologo pronuntiando. Nonne haec

scena digna, quae in Aululariam tranferatur? Nonne Euclio ibi plane rivalis Strepsiadis occurrit eodem modo iam in ineunte fabula cum serva de sumptu altercans? Attamen in comoedia Aristophanea vix est, quod talem scenam desideres.

Adiungimus alterum exemplum, in materia allata indoleque universa huic simillimum, embolimon quoddam Vesparum in parodum illatum: (248)

παῖς: τὸν πηλόν, ὦ πάτερ, πάτερ, τουτονὶ φύλαξαι.
χορ.: κάρφος χαμᾶθεν νῦν λαβὼν τον λύχνον πρόβυσον.
παῖς: οὐκ, ἀλλὰ τῳδί μοι δοκῶ τὸν λύχνον προβύσειν.
χορ.: τί δὴ μαθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς
    καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος, ὠνόητε;
    οὐ γὰρ δάκνει σ' ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι.

Talia embolima a ceteris scenis plane soluta nobis pretiosissimam ansam dant ad cognoscendum usum scenicum, qui vel extra fabulae necessitatem avaritiam senis notari voluit.

Saepissime autem apud Aristophanem senes obolorum illorum famosorum avidissimi finguntur. Iam abire vides personam, ut ita loquamur, ab avaritia dorica ad ionicam quandam. Mediam quandam partem tenet embolimon quoddam ex parodo Vesparum haustum, (291 sqq.) quo puer a patre frustra ficos petit.

    ἀπὸ γὰρ τοῦδέ με τοῦ μισθαρίου
    τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλ-
    φιτα δεῖ καὶ ξύλα κὤψον.
    σὺ δὲ σῦκά μ' αἰτεῖς.

Obolorum aviditas his locis, quos nominasse sufficit, notatur: Eccl. 380. Lys. 624. Vesp. 784.

M o r o s i t a s senis Aristophanei mirum in modum sane partibus Pulcinellae adversans nihilo minus consueto more servatur. Philocleo Vesparum nonne evadit remota iambica idea Heautontimorumenos, qui idem et alios

seu cognatos seu peregrinos vexat? Strepsiades non minus quam Euclio cum servis altercatur, cuius rationis unum iam novimus exemplum. Hic et versu 6 diras gravissimas in bellum mittit, quod illo vetetur servos κολάζειν. Inprimis in Demi Equitum pingenda imagine haec constans natura senis usui erat.

Demosthenes qui dicitur servus sic describit dominum:

ἄγροικος ὀργήν, κυαμοτρώξ, ἀκράχολος,
Δῆμος . . . . δύσκολον γερόντιον.

Meminerimus δύσκολος esse vocem quandam propriam in hac persona describenda, quae eadem et saepius iam tituli loco praemittitur. Et haec ipsa vox et ab Aristophane saepissime ad depingendum suum senem adhibetur:

Nub. 36 de Strepsiade impensa filii aegre ferente τί δυσκολαίνεις; de sene Vesparum cf. vers. 106.

ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι τιμῶν τὴν μακράν.

Dignus et est, qui attendatur, alius quidam locus Nubium (420 sqq.)

ἀλλ' ἕνεκεν γε ψυχῆς στερρᾶς δυκολοκοίτου τε μερίμνης
καὶ φειδωλοῦ καὶ τρυσιβίου γαστρὸς καὶ θυμβρεπιδείπνου
ἀμέλει θαρρῶν εἵνεκα τούτων ἐπιχαλκεύειν παρέχοιμ' ἄν.

Habes catalogum quendam morum senis scenici, δυσκολόκοιτος ad δύσκολος, φειδωλός ad Pheidonem consuetum nomen comoediae, τρυσίβιος ad Heautontimorumenon referatur necesse est.

Thymbram et alibi utpote φυτὸν δριμύ senex in deliciis habet. Dicaeopolis (Ach. 254) suam filiam iubet in sollemni pompa βλέπειν θυμβροφάγον.

Legas denique vocem δύσκολος et Vesp. 942 χαλεπὸς ὢν καὶ δύσκολος. Melius autem, quam singulis versibus fieri potest, docemur de persona senis Aristophanei,

si quidem universam indolem Nubium enucleabimus ita, ut sicuti supra parasitorum duorum certamen quoddam doricum enucleavimus ex Equitibus, hic in elementa consueta uniuscuiusque fere comoediae Plautinae aut Terentianae incidamus. Pater parcus atque morosus uxorem sibi duxerat puellam quandam nobili ex stirpe ortam. Filius se dedit studio cuidam, quod consueto more illa „jeunesse dorée“ sectari solet, quae in comoediis veterum versatur: equos alit. Hoc et in Andria Terentii (vers. 56) inter consueta studia adulescentium numeratur. πρεσβύτης autem — ut verba hypotheseos cuiusdam afferamus — ἀχθόμενος παιδὶ Φειδιππίδῃ καλουμένῳ φρονήματος γέμοντι ἀστικοῦ καὶ διὰ τὴν τῆς οἰκίας εὐγενείας πολυτέλειαν πάντα τὰ τοῖς γονεῦσι καταλώσαντι καὶ μάλιστα εἰς ἱπποτροφίας.

En, habes radices uniuscuiusque fere comoediae Romanae itemque et novae Atticae. His superstructam invenis esse comoediam Aristophaneam Nubium.

Hanc autem rationem forte institutam esse putare vetant multa exempla eiusdem generis ex comoedia palaeoattica hausta. Anagyros, Aristophanea quaedam fabula, introduxit (cf. Gaisford, Prov. Coislin. pag. 123) senem cum filio altercantem. Frgt. 141 huius fabulae filium et illi hippotrophiae deditum esse docet. Daetales faciebant Demeam quendam duos educare filios, alterum ruri, alterum in urbe, ubi luxuriis, epulis, symposiis (cf. frgt. 216 K.) consumptus patri moroso ansam obiurgandi dat. Praeter alias fabulas autem hic Vesparum est perspicienda ratio.

Vespae Aristophaneae sic ab argumento huius fabulae (hyp. I.) adumbrantur: τοῦτο τὸ δρᾶμα πεποίηται αὐτῷ οὐκ ἐξ ὑποκειμένης ὑποθέσεως, ἀλλ' ὡσανεὶ γενομένης. πέπλασται γὰρ τὸ ὅλον. Atque profecto et in hac fabula facile remoto aceto iambicae ideae inveniuntur ele-

menta doricae, ut ita loquamur, comoediae aut certe talis, quales nobis offeruntur a Menandro, Philemone poëtisque palliatae.

Exstat enim πρεσβύτης, φιλόδικος ὢν τὴν φύσιν, χαλεπὸς ὢν καὶ δύσκολος, cf. Vesp. 942. Ecce iratus senex, in Terentii Heautontimorumeni prologo typis consuetis adscriptus. Videmus consuetam saevitiam senis in usum iambicae ideae dramatis verti (διαβάλλει δὲ Ἀθηναίους ὡς φιλοδικοῦντας hyp.) Plane eodem modo et avaritia senis, quam consuevimus in universum potius describi videre, hic in servitutem quasi iambicae ideae abiecta est, Studium enim argenti comparandi hic evadit aviditas obolorum, iudicum mercedis. Bdelycleo id agit, ut satis faciat duobus illis intimis studiis patris. Ac saevitiae quidem parat, in quo versetur ac furiat, illo domestico instituto iudicio.

ἀλλ' ἐκεῖν' οὔπω λέγεις,
τὸν μισθὸν ὁπόθεν λήψομαι.
Bdelycl.: παρ' ἐμοῦ.
Phil.: καλῶς ὁτιὴ κατ' ἐμαυτὸν κοὐ μεθ' ἑτέρου λήψομαι

Adiungit iam narratiunculam quandam, qua quomodo nuper misere a collega quodam sua mercede privatus sit exponit. Memineris hic et duorum illorum embolimorum, quibus senes chori avari depinguntur. Ne autem obliviscamur et in Vespis illud discidium inter patrem et filium, quod summi momenti in omnibus comoediis posterioris aetatis est, iterum occurrere. Ea autem, quam Bdelycleo adulescens sequitur rationem vivendi quamque et patri suadet, haud ita multum differt a moribus Chaerearum palliatae fabulae.

Cf. vers. 737 sqq. et primum illud post parabasin institutum colloquium inter patrem et filium, qui studio vestitus, conviviorum, auletridum consueto quodam huic generi more scenico consumitur.

Morositatem senis sollemniter misogynae et uxorem premere supra vidimus, ubi iam gaudere exposuimus omnino comoediam discidiis inter coniuges exortis. Ac Strepsiades quidem in prologo copiosissimo Nubium haec profert (v. 42 sqq.)

εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς
ἥτις με γῆμ' ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα. sqq.

Similes querelas ex ore cuiusvis senis comici audias. Queruntur et senes Lysistratae (260), quod uxores suas, tanta mala, aluerint domi.

οἴμοι et lamentatur Blepyrus (Eccl. 323) κακοδαίμων, ὅτι γέρων ὢν ἠγόμην γυναῖχ,' ὅσας εἴμ' ἄξιος πληγὰς λαβεῖν.

Accedit, ut iterum, ut iam saepius antea, verborum consensum, praecipuum quasi νόμισμα philologorum, promissi nostri exsolvendi causa proferre possimus.

Radicem δῆμος et ad Aristophanem esse revocandam iam vidimus. Eadem autem res et de Pheidone et Chremete viget, consuetissimis illis nominibus senum. Pheidon enim pater Strepsiadis nominatur (Nub. 134. 65.), Chremes nominatur senex quidam Ecclesiazusarum, Chremylus denque persona primaria Pluti.

Neque forte factum est illud, quod vox πάππος, quae in Atellana Romana itemque et usu sermonis scenico, qualis in Polluce offertur (cf. IV 143), plane appellativa, ut more grammaticorum loquamur, facta est, iam ab Aristophane saepius cum sene coniungitur.

Cf. Vesp. 297. Vesp. 655. Equitum inprimis versus 1215, quo παππίδιον Demos nominatur, docet quomodo haec vox a sensu proprio deduci in significationem quandam universam possit. Facillime explicari potest, quid usum huius vocis commendaverit. Senem cum filio induci atque cum filio praecipue per totam fabulam agere voluit ratio scenica totius fere antiquitatis omnesque huius per-

sonae mores primarii ad filium praecipue spectant: Avaritia cohibere conatur rem familiarem a filio consumptam, morositate invehitur in filium luxuriosum. Est senex comoediae pater, πάππος κατ' ἐξοχήν.[4]) Adiungimus aliqua nomina Aristophanea, quae eodem modo suam rationem habere videntur: 1) Philodoretos (Eccl.

---

[4]) Nomina comicarum personarum ne inter minutias numeremus iam Dieterich monuit (Pulc. pag. 45. not. 4.) Occasione igitur oblata hanc quaestionem et de nominibus servorum Aristophaneorum moveo, quae eodem modo multo artius cum nominibus mimi et ceterarum comoediarum cohaerent, quam putari solet. Xanthias servi nomen iam Aristophani plane consuetum (Ran. Vesp. Ach.) iterum occurrit in imaginibus scenicis phlyacum, itemque et Cario, qui et a nova comoedia acceptus est. cf. Kock III p. 322 . Kock II p. 201. Bethe, Proleg. pag. 295 sqq. Dieterich, Pulc. p. 83. Nomine Carionis, servi Pluti, iam deducimur ad illa nomina, quae a gentibus sunt deprompta, Aristophani non minus consueta quam ceteris comicis.

Lydus: Arist. Av. 1244. (cf. Kock II. 70. III. 535. Bacchid. Plauti, Atilius frgt. 3 R.)

Phryx: Vesp. 433. Av. 763.

Phrygia: Heautontimor.

Syrus: Heautontim. Av.

Thratta: Ach. 273. Thesm. 279. 293. Vesp. 841. Herondas I. 1.

Syra: Hecyra.

Sed et Parmeno iam Eccl. vers. 868 invenitur, non iam ille relicturus scenam per sequentia saecula.

Plathane pandoceutria Ranarum (549) eadem fere ratione nomen accepit ac Cylindrus Menaechmorum coquus (2119).

51) 2) Chremon (χρήματα. Eccl. 401.) 3) Philoctemon (Vesp. 1250) 4) Ergasion (Vesp. 1202.) 5) Nomen Lachetis consuetum Terentianum iam Lys. 304 legitur.

Hoc certe iuvat probasse vel in nominum ratione fila multo artius cohaerere quam putari solet.

De vestitu scenico huius personae leviter tantum quaestionem instituentibus nobis materia uberrima oblata est, quae non digna esse videtur, quae silentio prematur. Unicum testimonium gravissimum totam quaestionem absolvere iam mihi quidem videtur: Ecclesiazusae (68 sqq.) virilem sibi paraturae speciem bacula et barbas petunt. Habes duo quasi elementa scenici apperatus senum nunquam omissa.[5]) Nonne in Nubium parabasi gloriatus erat poëta se consuetam personam senis baculo ferientis a sua parte removisse?

οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα.

Quid si scena quaedam ad verbum fere huic testimonio conveniens servata est in Pluto? Senes huius fabulae a servo irrisi sic loquuntur:

μῶν ἀξιοῖς φενακίσας ἡμᾶς ἀπαλλαγῆναι
ἀζήμιος καὶ ταῦτ' ἐμοῦ βακτηρίαν ἔχοντος;

En habes senem τῇ βακτηρίᾳ ἀφανίζοντα πονηρὰ σκώμματα.

Haec sententia, quae quasi sponte sua offertur in textu ipso, optime firmatur vasibus fictilibus imagines scenicas phlyacum praebentibus.

Servatur inter eas (cf. Arch. Ztg. 55,1 sqq. tabul. 78,3.) et altercatio quaedam senis cum uxore depicta, in qua iam supra breviter commemorata ille baculo et barba significatur. Hic autem frustra confugisse videtur ad il-

---

[5]) De hoc usu et in palliata mira constantia servato cf. locos hos: Men. 854 sqq. Asin. 124. Amph. 516 Casin. 896.

lud τύπτειν τῇ βακτηρίᾳ atque plane ad incitas redactus esse ab uxore per digiti quendam gestum minas proferente. βακτηρία, πώγων, σιμότης denique, e qua nomen Simonis fluxit, semper in notando sene scenico plurimum valent. cf. exempla catalogi Heydemanniani litteris D, F, S notata, Baumeisteriani lexici fig. 905. 911. alias. In imagine P Heydmanniana videmus Euclionem quendam arca nummaria circumverti. Apparet vestitum scenicum in persona senis adhibitum non alium fuisse Aristophani atque ceteris aut ludis popularibus aut politis aliqua arte comoediis. Is autem, qui in eo offendit, quod hoc capite ratione analytica egerimus, si quidem imaginem quandam omnibus numeris absolutam ex usu posterorum deprompsimus, cuius lineas iam antea expressas esse probare conati sumus, meminerit in hac re ex usu posterorum demum lucem afferri consuetudini ei, quae Aristophaneae aetati antecessit.

Apparet enim primum, si quidem eiusdem personae idem usus offertur apud Aristophanem et apud posteros, hanc imaginem neque Aristophanis neque ullius alius comici unius opera exprimi potuisse, sed per diutinum quoddam tempus paulatim ortam esse, praesertim cum Aristophanes omnia fere, quae hic agenda erant in persona senis, non consulto, sed quasi, ut in transcursu cuidam usui scenico satisfaceret, ingesserit in fabulas suas. Plus etiam procedimus, si quidem eis locis, quibus poëta ipse tricas Megaricas rivalium notat, illius ipsius personae rationem haberi cognoscimus. Demonstrant et reliquiae mimi Romanorum seu potius Italorum usum eiusdem typi, demonstrant denique imagines phlyacum.

Itaque persona senis eo, quo significavimus, modo expressa sicuti et scholastici iam in mimis vetustissimis viguisse putanda est, ad quam sententiam perducor deni-

que verbis his Pollucis: (IV. 104) οἱ δὲ ὑπογύπωνες γερόντων ὑπὸ βακτηρίαις τὴν μίμησιν εἶχον. Sicuti in illo testimonio Sosibii de persona scholastici servato vidimus iam τὴν ξενικὴν λέξιν expressam esse, ita iam hic usus scipionis occurrit.

VI. Vetula anus.

Seni adiungimus uxorem, τὸ γραΐδιον, cuius quae fuerint partes indagantes a Polluce initium capimus. Hic autem sequens consuetudinem suae aetatis de tribus generibus huius personae loquitur, quae ad unam eandemque matrem revocanda esse vix est quod accuratius exponamus. Usus scenae aliquo studio varietatis incitatus, id quod ex natura rerum facile intellegitur, ex una simplici persona tres paululum inter se diversas procreaverat, sicuti postea et parasitum tripertitum fuisse ex eodem scriptore (IV. 148) accipimus Pollucis autem de vetulis verba haec sunt:

(IV. 150.) τὰ δὲ γυναικῶν (scil. πρόσωπα)

γρᾴδιον ἰσχνὸν ἢ λυκαίνιον

γραῦς παχεῖα

γρᾴδιον οἰκουρὸν ἢ οἰκετικὸν ἢ ὀξύ. τὸ μὲν λυκαίνιον ὑπόμηκες, ῥυτίδες λεπταὶ καὶ πυκναί. λευκόν, ὑπόχρων, στρεβλὸν τὸ ὄμμα. ἡ δὲ παχεῖα γραῦς παχείας ἔχει τὰς ῥυτίδας ἐν εὐσαρκίᾳ καὶ ταινίδιον τὰς τρίχας περιλαμβάνον, τὸ δὲ οἰκουρὸν γρᾴδιον σιμόν, ἐν ἑκατέρᾳ τῇ σιαγόνι ἀνὰ δύο ἔχει γομφίους.

Habes tres filias, e quibus facile restituas vultum matris, cui hae fere propriae sunt notae:

1) ῥυτίδες.
2) ὠχρότης.
3) στρεβλότης τῶν ὀμμάτων.

4) dentium inopia paucis relictis dentibus notata potius quam minuta.

5) σιμότης.

In altera parte Pluti complures personae variis cum querimoniis aedes Chremyli adeunt, inter quas et anus quaedam nullo praeterea nomine accuratius designata. Iam ex hac re apparet esse eam, si omnino aliquam, in modum consueti typi formatam, quae opinio probatur his versibus:

1050) ὦ Ποντοπόσειδον καὶ θεοὶ πρεσβυτικοί.
ἐν τῷ προσώπῳ τῶν ῥυτίδων ὅσας ἔχει.
1055) hoc ab adulescente proponitur:
βούλει διὰ χρόνου πρός με παῖσαι; γρ.: ποῖ, τάλαν;
νεαν.: αὐτοῦ λαβοῦσα κάρυα. γρ.: παιδιὰν τίνα;
νεαν.; πόσους ἔχεις ὀδόντας; Chr.: ἀλλὰ γνώσομαι
κἄγωγ'· ἔχει γὰρ τρεῖς ἴσως ἢ τέτταρας.
νεαν.: ἀπότισον, ἕνα γὰρ γόμφιον μόνον φορεῖ.
1064) εἰ δ' ἐκπλυνεῖται τοῦτο τὸ ψιμύθιον
ὄψει κατάδηλα τοῦ προσώπου τὰ ῥάκη.

ad quos versus scholia: ῥάκος τὸ διερρηγμένον ἱμάτιον. μεταφορικῶς οὖν φησιν ἐνταῦθα ῥάκη, ἤγουν τάς ῥυτίδας τοῦ διεφθαρμένου αὐτῆς προσώπου ὑπὸ τοῦ γήρως.

Consentiunt igitur apparatus scenicus a Polluce descriptus et is certe, quo vetula Pluti ornata est.

In Vespis porro plane simili modo anus quaedam introducitur inter eas personas, quae in altera parte fabulae consueto more personam primariam adeunt. Ex paucis illis versibus, qui illi dedicati sunt, hoc tantum eligimus utpote ad nostram sententiam probandam aptum, διαβάλλεσθαι vetulam, ut more scholiorum loquamur, εἰς ὠχρότητα. Vindicat enim sibiChaerephontem quasi advocatum, qui quo vultu sit, iam supra, cum de scholastico egerimus, plurimis exemplis exposuimus. Tertia autem so-

cia quasi adiungitur corpori pallidorum hoc loco Ino Euripidea ὠχρὴ ὑπὸ τῆς κακοπαθείας (schol. ad vers. 1413 Vesparum). Hanc ὠχρότητα autem iam supra ex Polluce accepimus in natura scenicae vetulae positam esse.

Illa στρεβλότης τῶν ὀμμάτων, quam Pollux praeterea postulat, in talibus partibus, quales sunt artopolidis Vesparum, vetulae Pluti, pandoceutriae Ranarum optime rei accomodata erat, notatur et voce λυκαίνον a Polluce allata.

Imagines scenicae omnia, quae ex verbis scriptorum enucleavimus, oculis ipsis subiciunt.

Saepissime in eis invenias vetulas foedissimas depictas, nullam sine rugarum notatione, nullam et ita, ut non os aut omnibus privatum dentibus hiet aut unum duosve unice relictos proferat. Eodem modo et ἡ σιμότης et ἡ στρεβλότης τῶν ὀμμάτων semper bene notatur.

Ex Heydemanniano thesauro, non omnibus sane locis imaginibus ornato, affero

1) eam, quae littera B notatur, quam bene depictam invenias Arch. Ztg. 1872. tab. LXX. Est autem haec anus plane nuda, speciem summae indecentiae prae se ferens, σιμή, plurimis denique rugis perfossa.

2) rugosam quandam eandemque et simam littera D significatam, Charitem nominatam εἰρωνικῶς. De hac cf. 9. Hall. Progr. tab. I (pag. 4 sqq.)

3) eam, quae littera M notatur, rugosam atque simam, κόρδακα saltantem, quam depictam invenis apud Heymannum.

4) eam, quae littera S notatur. Depicta haec est Arch. Ztg. 1849 tab. IV. 1., cuius in imagine inprimis illum dentem unice relictum horrore perfusus videas.

5) notatam littera U (depictam Arch. Ztg. 1855, tab. LXXVIII.) Haec est illa, cuius cum coniuge vehementis-

sime altercantis iam supra mentionem fecimus.

6) notatam littera m, rugosam et simam.

Iam saepe ex eis locis, quibus Aristophanes in tritas atque consuetas rationes rivalium invehitur, pr tiosissimos fructus percepimus. Talis locus exstat in parabasi Nubium, qui nobis iam de sene baculo feriente usui erat. Gloriatur autem poëta et illo loco, quod sua Musa

οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς, οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν

. . . . . .

ἀλλ' αὐτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύους' ἐλήλυθεν.

Aliter egisse Eupolidem, quem et accusat, quod suos Equites in usum verterit

προσθεὶς αὐτῷ (scil. Maricae) γραῦν μεθύσην, τοῦ κόρδακος οὕνεχ, ἣν

Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν

Ex scholiis accipimus Hyperbolum notari nomine Maricae, γραῦν μεθύσην introduci Hyperboli matrem. cfr. et scholia ad Plut. vers. 1038. Qua in fabula Phrynichus vetulam ebriam in modum Andromedae piscibus comedendam obtulerit, incertum est.

Attamen Platonem comicum videmus eundem mythum eodem modo in ridiculam partem vertentem in Cleophone. cf. frgt. 56. de Cleophonis matre.

σὲ γάρ, γραῦ, συγκατῴκισεν σαπρὰν
ὀρφῷσι, σελαχίοις τε καὶ φάγροις βοράν.

cfr. et frgt. 60.

Hermippus in Artopolidibus matrem Hyperboli sic alloquitur (frgt. 10 K),

ὦ σαπρὰ καὶ πᾶσι πόρνη καὶ κάπραινα.

Socrates scenam non adit nisi fictus in modum doctoris consueti, Lamachus scenicus est miles gloriosus consuetus, Cleo partes parasiti subit, eodem denique modo quaequae et accedit ad comicos Atticos vetula, mater

seu huius seu illius viri aliquid in re publica valentis, evadit in modum consuetae cuiusdam personae ficta. Eadem persona et in usum vocatur, ubi non certa quaedam, sed quaelibet vetula in usum scenae desideratur, id quod fit in altera parte Pluti et Vesparum.

Κόρδαξ autem sollemniter huic personae adhaerere videtur. Commemoratur iam ab Aristophane ipso quasi typo vetulae attributus (Nub. 532. 547). Eupolidem accipimus eodem loco induxisse matrem Hyperboli vetulam κόρδακα saltantem, quam rationem et inisse videtur Phrynichus antea, Hermippus postea. Duae imagines scenicae (B et M Heydemanniani catalogi) depingunt vetulam quandam κόρδακα saltantem. Facere non possumus quin ex his imaginibus in vasibus fictilibus servatis concludamus summa foeditate affectas esse tales personas suasque partes cum taetra quadam petulantia egisse.

Memineris et praeter anum Vesparum illamque Pluti vetularum illarum pruritu libidinoso consumptarum Ecclesiazusarum, pandoceutriarum Ranarum denique, quibus illam στρεβλότητα τῶν ὀμμάτων a Polluce notatam non denegabis.

Iuvat hoc loco addidisse scaenam Aristophaneam eadem ratione, qua senes et adulescentes tantum, non viros mediae aetatis introducit, et vetulis et puellis tantum favere. Nam vel Thesmophoriazusae et eae, quae Lysistratae partes sequuntur, cum de eis quaestio aetatis movetur — o inurbanam hanc et crudelem curiositatem, —, maestae ex hac censura prodeunt. Lysistrata a senibus (6135) γραῦς appellatur, feminae denique ipsae — id quod sane bona fide accipiendum est — sese hac voce notant (Lyistr. 637). γραῖα σαπρά nominatur una ex choro Thesmophoriazusarum (1024). De aetate Ecclesiazusarum, quam poëta velo quodam tetigit,

clementius iudicare vetamur mira illarum cura legibus que ipsis expressa ratio ὅπως ἂν

μηδεμιᾶς ᾖ τρύπημα κενόν (623),

vetamur et aetate collegarum in duabus illis fabulis de hortulo non copiose rigato querentium, vetamur denique imaginibus scaenicis semper senes et anus summa deformitate insignes praebentibus.[1]) Sic et cum illo pallore, quem verba Pollucis vetulis scaenicis proprium esse volunt, conveniunt Eccl. versus 427 (λευκὸς νεανίας) et 387 (λευκοπληθὴς ἐκκλησία). Comparantur et Ecclesiazusae cum sutoribus, qui ἐν σκιᾷ καθεζόμενοι ἐργάζονται (schol.).

Iam saepius vidimus in ethopoiia personarum occurrere constantem quendam usum certarum vocum. Atque in lexicographia vetulae vox σαπρός praeter alias usitatissima est, in quam iam incidimus Herm. frgt. 10 K, Plat. frgt. 56 K, Thesm. vers. 1024. Adiungimus Plut. 1086, Eccl. 884, 926, 1098, Lys. 378, Alex. frgt. 167 K.

Iam supra vidimus inter senes et anus scaenicos semper intercedere rixas et simultates. Et a partibus mulierum misandria vehementissime viget. Lysistrata quaeque eam sectantur mulieres, Thesmophoriazusae, Ecclesiazusae odio virorum refertae sunt. Ea, quae quasi ex vita cotidiana uxorum scaenicarum hausta hic illic per fabulas

[1]) Nihilo minus haud ita inviti vidimus ante hos paucos annos has partes Berolini agi a iunioribus in fabula quadam ideo puto a Wilbrandtio ex duabus Aristophaneis contaminata, quod ei, qui Lysistratam et Ecclesiazusas omnibus spurcitiis in usum Dephini purgare voluit, vix dimidia pars prioris materiae relinquebatur. Attamen dubitari potest valeantne duo spadones idem quod unus ἔνορχος.

Aristophaneas dispersa legimus (cf. inprimis Thesm. 466-519) consuetis argumentis continentur mimorum comoediarumque omnium temporum. Nam ex moechis admissis, triangulari quadam ratione connubiali, infantibus suppositis, similibus rebus scaena omnium gentium spiritum et vitam cepit. Cf. et Theocr. Adoniaz. vers. 8 sqq. 155 sqq. 185 sqq. 148. Cum verbis Pollucis quasi ducibus adhuc usi simus, factum est, ut ultra apparatum scaenicum nondum pocedere licuerit. Sunt enim γραΐδια scaenica et μεθύοντα et λυττῶντα (frgt. adesp. p. 520 K.) In illa copiosa parabasi nubium γραῦς μέθυσα inter sollemnes personas numeratur, quae quantopere viguerit in usu scaenico iam supra cognovimus.

Ad vetulam prurientem alterius partis Pluti conversus bomolochus haec verba facit. 972

ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;

διαβάλλων αὐτήν, ut verba scholiorum afferamus, ὡς μέθυσόν φησιν . . . . . . δέον εἰπεῖν ἔκρινες.

Tales ioci in argumento ipso nulla, immo ne in scena hac quidem ulla causa posita erat. Voluit autem typus talia hic illic inseri.

Hic et digna est, quae afferatur, illa fabella, quam quasi Aesopi narrat Philocleo artopolidi ita compositam illam, ut apte artopolis ipsa in lubibrium vertatur.

Vesp. 1401 Αἴσωπον ἀπὸ δείπνου βαδίζοντ' ἑσπέρας
θρασεῖα καὶ μεθύση τις ὑλακτεῖ κύων.
κἄπειτ' ἐκεῖνος εἶπεν· ὦ κύον, κύον,
εἰ νὴ Δί' ἀντὶ τῆς κακῆς γλώττης ποθὲν
πυροὺς πρίαιο, σωφρονεῖν ἄν μοι δοκοῖς.

Quid sibi haec fabula velit, perspexit bene artopolis ipsa, si quidem sic respondet:

καὶ καταγελᾷς μου.

In versus Lys. 194-239 semper vini amor irrepit, ita

ut bibere potius quam foedus inire velle videantur mulieres, Mnesilochus (Thesm. 630-633), cum de eius genere dubitetur, hoc examen subire cogitur:

γυνή Α: σὺ δ' εἰπέ μοι
ὅτι πρῶτον ἡμῖν τῶν ἱερῶν ἐδείκνυτο.
Mnesilochus: φέρ' ἴδω, τί μέντοι πρῶτον ἦν; ἐπίνομεν,
γυνή Α: τί δὲ μετὰ τοῦτο δεύτερον;
Mnes.: προὐπίνομεν.
γυνή Α: ταυτὶ μὲν ἤκουσάς τινός. συ· τί δὲ τρίτον;
Mnes.: σκάφιον Ξένυλλ' ᾔτησεν. οὐ γὰρ ἦν ἀμίς.

Huius examinis haud minimae facetiae in eo positae sunt, ut mulier ipsa primum quidem responsa Mnesilochi quasi vera accipiat, tum demum, cum res ad spurcitias redit, extremum periculum dubiae mulieris proponat ita, ut vestibus illi detractis firma generis argumenta in lucem prodeant. Cf. et Thesm. vers. 733.

Legas et hanc devotionem (Thesm. 347).

κεἴ τις κάπηλος ἢ καπηλὶς τοῦ χοὸς
ἢ τῶν κοτυλῶν τὸ νόμισμα διαλυμαίνεται,
κακῶς ἀπολέσθαι τοῦτον αὐτὸν κῳκίαν.

Nominat et Mnesilochus mulieres (737 Thesm.),

ὦ μέγα καπήλοις ἀγαθὸν, ἡμῖν δ' αὖ κακόν.

Satis aperte et Chremyli uxor nil fere praebet nisi consuetum typum vetulae. Inserta est omnino fabulae eo consilio, ut habeat servus, cui pronuntiet narrationem de Pluti medela. Iam aggrediens ad domum servus exclamat:

644 ταχέως, ταχέως φέρ' οἶνον, ὦ δέσποιν', ἵνα
καὐτὴ πίῃς· φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα.

Hanc cavillationem et haud inepte in suam orationem inserit:

737) καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα
ὁ Πλοῦτος, ὦ δέσποιν', ἀνεστήκει βλέπων.

Ecclesiazusis corona, sicuti eis, quae Lysistratam sequuntur, poculum bibendi studium inicit.

132) — εἶτα πρὶν πιεῖν λέγω;
ἰδοὺ πιεῖν — τί γάρ, ὦ μέλ', ἐστεφανωσάμην;

Queritur et γυνή illa A Thesmophoriazusarum de misera sui generis servitute:

ἃ δ' ἦν ἡμῖν πρὸ τοῦ
αὐταῖς ταμιεύεσθαι, προαιρούσαις λαβεῖν,
ἄλφιτον, ἔλαιον, οἶνον, οὐδὲ ταῦτ' ἔτι
ἔξεστιν.

Cf. et Pherecratis fragmentum 143.

Forte quadam licet copiosissimis exemplis cognoscere, quanti momenti fuerit persona vetulae vinosae in comoedia, quam recte igitur Aristophanes hunc usum, quamvis ei ipse firmissimis filis adhaereat, notet. Athenaeus enim scripsit de hac persona commentatiunculam quandam illi similem, quam de parasito composuit, testimoniis comicorum optime et eam ornatam. (Athen. 440 E-442 A.)

Hic invenias anthologiam quandam versiculorum scitorum de vinolentia muliercularum compositorum, e quibus paucos laudasse sufficiat. Antiphanes scripsit Mystida fabulam quandam, ex qua nobis tria servata sunt fragmenta, (163-165 K) quorum duo satis copiosa ad bibendum spectant, alterum illi laudato catalogo insertum, alterum paulo post ab eodem Athenaeo allatum (446 C).. Hoc fragmentum affertur iterum 494 C, ex quo loco accipimus γραῦν φίλοινον verba fecisse. Itaque et in hac fabula consueto illo, de quo iam egimus, usu scaenico γρᾶες partes primarias egerunt. Vereor autem, ne in his „mysteriis" in modum Aristophaneorum pocula et matulae praecipua fuerint vasia sacra.

Venustissimum est aliud fragmentum Alexidis ex Or-

chestride servatum (frgt. 167 K).

A) γυναιξὶ δ' ἀρκεῖ πάντ' ἐὰν οἶνος παρῇ
πίνειν διαρκής. B) ἀλλὰ μήν, νὴ τὼ θεώ,
ἔσται γ' ὅσον ἂν βουλώμεθα, ἔσται καὶ μάλα,
ἡδύς γ', ὀδόντας οὐκ ἔχων, ἤδη σαπρός,
λέγων, γέρων γε δαιμονίως, A) ἀσπάζομαι
γραῦν σφίγγα

Videmus duas vetulas colloquentes, quarum altera vinum cum natura ipsa vetularum scite confert itaque ab altera σφίγξ nominatur. Est enim vinum γέρων, cui respondet vox γραῦς, σαπρός, quae vox quam sit propria vetulis scenicis supra cognovimus, ὀδόντας οὐκ ἔχων, sicuti et anus Pollucis, imaginum scaenicarum, Aristophanis.

De usu huius typi in palliata Romanorum cf. Asin. 802. Andr. 228 sqq. Vinosa anus viget et in mimo. Memineris conciliatricis primi mimiambi Herondei. Κάπηλος iam in primo fragmento editionis Kaibelianae Sophronis nominatur hausto illo ex muliebri quodam mimo, qui quantum valeat in vita vetularum cognoscas ex versu 347 Thesmoph. itemque ex frgt. 24 K Antiphanis. Vinolenta vetula quomodo adeat elegiam et graecam et romanam, fabulas denique Romanenses, hic non est in animo exponere, attamen rem ipsam significasse iuvat.

Haud indignum denique est, quod attendatur, traditam fuisse inter Plautinas fabulam quandam titulo anus significatam, quae sibi singulares huius typi mores proposuisse videtur describendos neque forte factum esse putandum est in ea, quam supra depingere conati sumus, natura fabularum Pherecratearum illud, quod hic poëta comoediam quandam scripsit titulo γρᾶες notatam.

Totus mimus itemque comoedia Siculorum, quicquid denique simili cuidam generi artis est adscribendum, in duas provincias quasi dividitur. In altera regnant illi μῦθοι καὶ λόγοι ad normam vitae cotidianae constantibus personis expressi, quae num quid valeant in fabulis Aristophaneis quaesivimus. Altera mythum deorum atque heroum μεταρρυθμίζει εἰς τὸ γελοῖον. Exempla huius generis exstant Epicharmus, Rhinto, media atque nova comoedia Attica, fabula Atellana Romanorum, alia. Personas mythicas Aristophaneas ad phlyacum mimum quasi auctorem revocavit Bethe[1]). Neque profecto dici potest, quomodo in hoc usu Aristophanes propriam quandam rationem a consuetudine phlyacum alienam sectetur. In prologo sane illo Vesparum accipimus inter alias „Megaricas" personas et Herculem voracem, a quo suam scaenam liberam esse profitetur comicus (Vesp. 60). Sic et in Pace (741) gloriatur, quod praeter alia τοὺς θ' Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας de scaena depulerit. Usus huius personae plurimus Epicharmi Rhintonisque fragmentis, imaginibus denique phlyacum comprobatur. Scripsit et de ea Athenaeus meram dissertatiunculum (p. 411 sqq.) testimoniis uberrime ornatam. Attamen Aristophanes, ut saepius, sic et hic sui ipsius haud ita integer iudex. Induxit Herculem in Avibus, in Ranis, ἐν Αἰολοσίκωνι (schol. ad Pac. 741) denique in scaenam. Immo nunc opera Koertei[2]) constat initium Ranarum apertissime secundum normam alicuius scaenae phlyacum fictum esse ita, ut quas ibi egerat verus Hercules, hic Dionysus, misellus illius sectator, agat partes. Ad cognoscendam radicem usus personarum mythicarum Aristo-

---

[1]) cf. Prolegom. p. 59. sqq.
[2]) cf. Arch. Jahrb. VIII. p. 87.

phanei exemplum Herculis omnium apertissimum hic utpote in re iam acta sufficiat. Δείκνυται δὲ ἐκ πάντων τούτων, ὅτι Μεγαρεῖς seu potius — nam necesse est cautionem adhibeamus in certis nominibus eligendis — quicquid erat phlyacum graecorum τῆς κωμῳδίας εὑρεταί.

Buchdruckerei Seb. Foppen, Bonn.

Vita

Natus sum Guilelmus Süss Friedbergae Hassorum die nono mensis Martii anno MDCCCLXXXII patre Henrico matre Carolina e gente Schäfer, quae mihi vixdum elementis litterarum in ludo triviali patriae urbis imbuto praematura morte est erepta. Gymnasii Friedbergensis, quod ab ordine S. Augustini nomen cepit, fructus disciplina scholis adfui universitatis Monacensis per sex menses, Berolinensis per duo semestria, Gissensis per sex semestria. Docuerunt me viri doctissimi:

Behaghel, Bethe, v. Christ, Diels, Dieterich, Drerup, Groos, Gundermann, Heinze, Helm, v. Hertling, Ad. Kirchhoff, I. v. Müller, Siebeck, Thomas, Vahlen, Vollmer, Weymann, v. Wilamowitz-Moellendorff, v. Winterfeld, v. Wölfflin, Wünsch.

His viris omnibus gratias hoc loco ago quam maximas, inprimis Bethio, qui cum alibi, tum in hoc conficiendo opusculo adiutorem se praestitit singularis cuiusdam liberalitatis.

Index

Errata

Pag. 30, 30 pro mini . . . . . . legas mimi
„ 32, 7 pro eun viternus . . . „ eum veternus
„ 32, 10 pro Pomponicus . . . „ Pomponius
„ 70 . . . columnarum 12 et 13 ordinem commutes
„ 81, 24 pro ἐδιδάσκετο . . . legas ἐδεδίσκετο
„ 81, 24 pro δρυπέπεις . . . „ δρυπετεῖς
„ 99, 2 pro τριακουντίδας . . . „ τριακοντουτίδας
„ 101, 2 pro prologi[illegible] . . . „ prologo
„ 104, 8 pro Heautontimori . . „ Heautontimorumeni.